

Part

OBSERVATIONES
DE
H E R P E T E ,
EIUS

C O M P L I C A T I O N I B U S

E T

REMEDIO NOVO

„ANTHERAKOZALIK“

S C R I P S I T

JOSEPHUS POLYA,


M. DR. L. R. CIVITATIS PESTENSIS PHYSICUS, NOSOCOMII CIVILIS
MEDICUS ORD. AC SOCIETATIS ERUDITORUM HUNG.
MEMBRUM CORRESP.

Ratione vero opus est ipsi medicinae.

CELSUS.

PESTINI, 1837.

SUMPTIBUS CONR. ADOLPHI HARTLEBEN.



BUDILYI PÁL MŰVEI

1977. 10. 20.

POOR - I. KÖRPLAK

MAGNIFICIS,

SPECTABILIBUS AC CLARISSIMIS

D. D.

INCLYTAE FACULTATIS MEDICAE REGIAE SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE

PRAESIDI - DIRECTORI

A C

PROFESSORIBUS,

*Praeceptoribus suis meritissimis
PROTOMONACHIS ET EXCEPTEORIBUS*

d i c a t

A U G T O R.

Ad Lectorem.

Observationes de herpete eiusque complicati-
nibus, quas hic libellus continet, tantum propria ex-
perientia probatas refero.

In expositione observationum harum solummodo
summos rei apices breviter attingere utile duxi; at-
tentionem enim herpeti et simul aliis vegetationis
morbis, quos huicdum maximam partem tenebrae te-
gunt, maiorem tantum conciliare, non autem mono-
graphiam scribere intentio fuit.

Quae de Anthrakokali in publicum profero, ea
generalia sunt, observationes de illo ultiro faciendas
medicis, qui nosocomiis praefecti sunt, relinquens.

Utrum hoc remedio novo, quod iam a tribus
annis aegris meis herpeticis felici successu exhibeo,
rem medicam ditaverim, tempus docebit.

Si theoriae hic expositae, quas rationi et ex-
perientiae congruas profiteor, collegis meis arrise-
rint, eas cum tempore uberiori pertractabo sperans,

hoc facto me quoque incremento artis ac scientiae medicae quidquam collaturum.

Iconibus formarum herpetis simplicis et eius complicationum propria manu exaratis provisus sum; has, si hoc opusculum postulatis scientificis responderit, communicabo.

Nosocomium filiale, cuius in sequentibus saepius mentionem facio, est asylum aegrorum curis meis commissum ob defectum loci sufficientis in nosocomio civili ad St. Rochum dicto interim erectum, aegros 50—56 (mares scilicet 31—36, feminas 20) recipiens. In hoc instituto annue aegri, ob magnum horum morbis chronicis adfectorum numerum, 630—700 curantur.

Conspectus.

	Pag.
Praemissa.	1
I. Definitio descriptiva herpetis.	6
II. Divisio generalis respectu practico.	—
III. Herpes legitimus.	—
<i>Symptomata.</i>	—
A. Generatim.	—
B. Speciatim.	8
IV.—V. Herpes legitimus simplex.	8—9
Familia herpetis.	9
VI. Genus. Herpes papulosus.	—
Species 1. " " furfuraceus.	—
" 2. " " squamifer.	10
VII. Genus. Herpes nodulatus.	—
Species. " " squamatus.	—
VIII. Genus. Herpes vesiculatus.	11
Species. " " miliaris.	—
Hydroa febrilia Auct.	—
IX. Genus. Herpes pustulifer.	12
Species. " " crustaceus.	13
X. Genus. Herpes ulcerosus.	—
Species. " " rodens.	—
XI—XIII. Herpes legitimus complicatus.	14—15
XIV. Herpes scabidus.	16
XV. Herpes scab. aequaliter diffusus.	—
A. Herpes scabidus papulosus.	—
B. " " vesiculatus.	18
C. " " pustulifer.	—

D.	<i>Herpes scabidus varicosus.</i>	19
E.	" "	<i>ecchymomatoides.</i>	.	.	.	20
F.	" "	<i>ulcerosus.</i>	.	.	.	21
XVI.	<i>Herpes scabidus centrifugus.</i>	23
XVII.	A. <i>Herpes scab. centrif. papulosus.</i>	—
	B. " " " <i>vesiculatus.</i>	24
	C. " " " <i>pustulifer.</i>	25
	D. " " " <i>ulcerosus.</i>	—
XVIII.	<i>Herpes syphiliticus.</i>	—
XIX.	A. <i>Herpes syphiliticus papulosus.</i>	26
	B. " " " <i>vesiculatus.</i>	27
	C. " " " <i>pustulifer.</i>	—
	D. " " " <i>ulcerosus.</i>	28
XX.	<i>Herpes syphilitico - scabidus et scabido syphiliticus.</i>	29
	A. <i>Herpes scabido - syphiliticus furfuraceus.</i>	—
	B. " " " <i>nodulatus.</i>	30
	C. " " " <i>miliaris.</i>	—
	D. " " " <i>pustulifer.</i>	31
	E. " " " <i>syphilitico - scabidus bullosus seu pemphigoides.</i>	32
	F. " " " <i>ulcerosus</i>	34
	G. " " " <i>varicosus.</i>	36
XXI.	<i>Herpes leprosus.</i>	37
	A. " <i>scabido - leprosus</i>	—
	B. " <i>syphilitico - leprosus.</i>	38
	C. " <i>syphilitico - scabido - leprosus.</i>	—
XXII.	<i>Herpes erysipelaceus.</i>	39
	A. " " " <i>cutis</i>	—
	B. " " " <i>textus cellulosi subcutanei.</i>	40
XXIII.	<i>Herpes carcinomaticus.</i>	45
	A. " " " <i>glandulosus.</i>	—
	B. " " " <i>fungosus.</i>	46
	C. " " " <i>phagedaenicus.</i>	47
XXIV.	<i>Valor distinctionis formarum herpetis eiusque complicationum.</i>	—
XXV.	<i>Decursus herpetis legitimi.</i>	49
XXVI.	<i>Herpes anomalus.</i>	51
XXVII.	" " " <i>unguium.</i>	52
XXVIII.	" " " <i>dentium.</i>	53
XXIX.	" " " <i>bulborum capillitii.</i>	—
XXX.	" " " <i>gingivarum.</i>	54
XXXI.	" " " <i>narium.</i>	—
XXXII.	" " " <i>faucium.</i>	56
XXXIII.	" " " <i>intestini recti.</i>	57

	Pag.
XXXIV. Herpes anomalus labiorum vulvae et vaginae.	58
XXXV. " " ventriculi.	59
XXXVI. " " varicosus externus.	61
XXXVII. " " " internus	62
XXXVIII.—XL. " scrophuloides	65
XLI. " " tuberculosus.	69
XLII. " " furunculiformis.	70
XLIII. " " rheumaticus.	76
XLIV. " " ossium et periosteum.	81
XLV. " " nervos feriens.	82
XLVI. " " organorum respirationis	85
XLVII. " " ovariorum.	88
XLVIII. De natura herpetis.	90
XLIX. Aetiologya herpetis.	94
L. Herpetis extensio geographica.	95
LI. Diagnosis herpetis.	96
LII. Prognosis herpetis.	99
LIII. Therapeutica.	100
LIV—LV. Theoria sanationis morborum vegetationis.	101
LVI. Exempla.	103
LVII—LVIII. Remedia herpetis generatim.	104—105
LIX. " " speciatim: sulphur.	107
LX. " " antimonium.	108
LXI. " " hydrargyrus.	109
LXII. " " iodium.	—
LXIII. " " manganum.	110
LXIV. " " graphites.	—
LXV. " " carbones artificiales.	—
LXVI. " " lithanthrax.	111
LXVII. " " vegetabilia acria	—
LXVIII. " " narcotica.	—
LXIX. " " vegetabilia amara.	—
LXX. " " vegetabilia vulgo	—
LXXI. Historia inventionis anthrakokali.	112
LXXII. Paratio anthrakokali.	113
LXXIII.—LXXVII. Characteres anthrakokali	115
LXXVIII.—LXXVII. Actio anthrakokali in organismum in genere, in herpetem in specie.	116—120
LXXIX.—LXXX. Indicationes et contraindicationes anthrakokali.	121
LXXX. Diaetae sub usu anthrakokali coordinatio.	121—122

LXXXI.—LXXXIII. Notanda therapeutica.	123—128
LXXXIV.—XC. Anthrakokali effectus in herpetem ano-	
malum.	128—133
XCI. Anthrakokali cum externis remedii combinatio.	135
XCII. Appendix.	135

Praemissa.

1.

Observator morborum cutaneorum attentus saepius experitur formam eorum in genere in eodem aegro sub variis rerum adiunctis in aliam mutari, imo in specie unam eandemque plagam cutis affectam successive diversum induere morbi typum.

Si verum est, quod verum esse experientia probatur, diversam hanc in eodem individuo tempore eodem vel diverso evolutam morbi cutanei formam unius eiusdemque status morbidi imaginem (reflexum) externam esse: diversam hanc formam pro diverso, nomine et re tenus, statu morbido haud esse habendam sequitur.

2.

Altiori itaque ipsa *externa forma* principio morborum cutaneorum *in genere* in Classes dispositio superstruenda venit.

Si *essentia* illorum i. e. integer habitus nec non totus vitae cursus prae oculis habeatur: forma externa, quam, ut dictum est, in diverso vitae statu variam offerunt, huic subordinanda erit.

Neglecta hac eos scrutandi ratione, quemadmodum in systemate botanico sexuali ordines naturales casu tantum coalescunt; ita etiam in distributione morborum cutis

a forma unice externa desumta diversi status morbidi sub eodem capite pertractantur, et iidem diversis adnumerantur.

3.

Essentia discrepantes ab invicem morbos cutis, *in specie* chronicos, *dyscrasiae* cuiusdam altius organismo innidulantis focum externam esse admittere cogimur. *Dyscrasiae* tales *instar parasitorum viventes* in diversis individuis *diversae*, simulque *unica* vel *plures* inesse possunt ac solent, variaque inter se ratione in casu posteriori *connubium* ineunt.

4.

Dyscrasiae eaedem singulae, qua *morborum cutaneorum substratum materiale*, diversarum sunt capaces, ut saepius dictum est, formarum, quae tum *characteribus* illarum *genericis* statuendis inservire debent, dum ipsae *dyscrasiae* ex *evolutione* vel *manifestatione sua vitali*, seu e *gradu vitae*, quem in serie infimorum organismorum parasiticorum occupant, aestimari volunt.

5.

Hic opportunum quidem esset dare distributionem in Classes his principiis innixam; quum tamen in nobis longa uberaque experientia desideretur, tale opus non sine temeritate susciperemus. Audemus tamen limites extremos illius facienda duabus dyscrasiis: chloasmatica scilicet et scabida, assignare. Ex his prior magis regno vegetabilium propinquus est, quum posterior regno animali ob productum suum, animalculum scilicet parasiticum, adpertinet. Erysipelas formam intermediam offert inter morbos cutaneos acutos et chronicos ponendam; decursu enim suo acutum arguit morbum, reversione vero in eodem individuo cre-

briori, simulque eo, quod inter specifcos pertineat, nec non eo, quod qua comitatur reactione, *) illa morbi somiti tollendo impar sit, dyscrasicam prodit naturam.

6.

Habito formarum, qua *characterum genericorum*, respectu in statuendis his vitae cutis totius alienatio consideranda est. Etenim una eademque dyscrasia diversa cutis strata in diversis corporis regionibus, in diversis individuis, diversis temporibus diversa ratione adficit; quod iterum e diverso dyscrasiae sub nunc dictis rerum adiunctis vitae statu suum habet explicatum. Hinc id quoque patet: unam eandemque formam uni eidemque tantum dyscrasiae propriam esse haud posse.

Adficiuntur quidem in omni morbo cutaneo dyscrasico tam corium, quam rete mucosum et epidermis, sed vario, ut dictum est, gradu.

Ubi superficies exterior corii circa pilorum vaginulas cryptasque sebaceas morbo tentata est, *Papulae* emergunt, quae maiori in gradu evolutae *Nodulos* (tubercula**) Auct., *Nodosque* gignunt; tota autem substantia corii circa easdem partes in ambitu exiguo inflammata *Pustulas* creat. Si vasa illius sanguifera extensa sint, *Varices* generantur; si sanguinem vasis elapsum recondat, *Ecchymomatibus* originem praebet; si vasa illius maiori copia sanguinem admittant, imo maiori in plaga continua inflammatio manifesta sit, *Exanthemata* oriuntur; si vero substantia illius detrimentum patiatur, *Ulcus* enascitur.

*) Conferantur, quae inferius (LII) in Therapeuticis de reactione dicuntur.

**) Ad evitandam in expressione verborum confusionem *tubercula cutis* Auct. *nodulos nodosque* dicimus, nomine tuberculorum ad designanda *tubercula pulmonum, hepatis* et his congrua *textus cellulosi subcutanei cutisque* etc. utentes.

Dum in rete mucoso liquidum morbidum maiori copia paratur, *Vesiculae*, *Bullae* exsurgunt. Si illius color sit immutatus, *Maculae* obviae sunt.

Epidermis serius ocyus secedens vel continuo regeneratur, vel diu absens morbo tantum soluto restituitur. Regenerata continuo epidermis *squamulas* seu *furfurem* et *squamam* format; absentem vero crustae diversi habitus supplent.

Dyscrasiae cutaneae materiam certam extra superficiem corporis excernunt, quae ubi certam figuram consuetim adipiscitur, aptissimum largitur *Specierum characterem*, ut sunt: furfur, squama, crusta. Ubi vero figura haec desideratur, characteri specifico designando idonea est figura corporibus naturalibus similis, atque tum ea v. c. milio, lenti etc. comparatur. In nonnullis casibus modus evolutionis dyscrasiae specialem suppeditat characterem.

Omnis denique formarum morbi cutanei chronicí unius dyscrasiae congeries *Familiae* nomine insigniri potest.

Quod diximus repetimus: singulam dyscrasiam propria vitae manifestazione, sub omnibus eiusdem formis eminent, notisque distinctis praedita gaudere. Alii certe convenient characteres vitales scabiei, herpeti, lepræ, syphilidi, carcinomati etc., vel a minus in diagnosi eorum versato non facile confundendi.

Verum notandum est singulas has dyscrasias rarius *simplices*, *puras* occurrere, illae enim duae, tres vel quatuor quoque inter se complicantur. Hac complicatione tenus vita illarum singularum in unam certam coalescens

hac coalitione tenuis immutata sit necesse est. Haec immutatio tamen non est tam exacta, ut ex illo connubio nova penitus oriatur dyscrasia; imo character vitalis singularae dyscrasiae conspicuus manet, et quidem illius quam maxime prae ceteris praedominantis, dum characteres reliquarum minus conspicui sunt, vel sub seniori morbi cutanei chronicci evolutione manifesti redduntur*).

Sub his rerum adiunctis morbus cutaneus chronicus familiae illius accensendus venit, cuius character vitalis reliquis eminere deprehenditur, e. c. Herpes scabido-syphiliticus, Scabies syphilitico-leprosa.

10.

Indigitatis in limine huius opusculi punctis his meditatione dignis, uberior eorum elucubratio descriptione Herpetis eiusque complicationum probanda sequitur.

* Ubi herpetis et scabiei sub forma *herpetis scabidi* connubium est, *sulphure solo* adhibito *scabies* maximam partem extinguitur, *herpes* vero remanet non sanatus; dum herpetis, scabiei et syphilidis complicatio praesens est, *remediis mercurialibus solis* charactere *syphilitico* extincto *herpes scabidus* vigere continuaat.

I.

Herpes est morbus vitae vegetativae organismi universalis, parasiticus, evacuatorius, apyretus; topice inflammatione cutis specifica, quae itensitate et extensione diversa est, liquidum morbosum diversi habitus secernit, papulis, vesiculis, aut pustulis, vel ulceribus, aggregatis componitur, prurit et per reliquam cutum specie sanam ultro serpit, manifestus.

II.

Morbus hic parasiticus, universalis focum topicum quemadmodum in cuti peripheriam corporis ambiente, ita etiam intra huius ambitum eligere consuevit. Hoc duce momento in praxi medica haud inutili Herpetem distinguimus *externum* seu *legitimum* et *internum* seu *anomalum*; utrumque, si nullo inicit morbo alio connubium *simplicem*, contra *complicatum* nuncupabimus.

Herpes legitimus.

III.

S y m p t o m a t u s .

A. Generatim.

Initio in plaga, ubi herpes prorupturus est, sensus plerumque tensionis lenis, aut siccitatis aut titillationis vel formicationis, qui ad contrectandum, fricandum, scalpen-

dumque iterum iterumve invitat, oritur; huic mox pruritus insequitur sensus, qui frictione non remittit, imo cum cutis rubore in ardorem augetur et saepe in dolorem urentem exasperatur.

Sensus ille raro continuus, per vices praesertim vespera redire amat, hominemque maxime sive tempore externo, sive motu, sive potu spirituoso incalescentem exercere solet, frigore vero silet.

Cutis ipsa in plaga affecta diversam exhibit faciem. Consuetim infra epidermidem liquidum initio serosum diaphanum aut rubellum maiori vel minori, saepe minima quantitate effusum cernitur, quod eandem sub phlyctaenarum aut vesicularum iam exiguarum, iam maiorum aggregatarum forma elevat, et serius vix aut multum albescens, disrumpit.

Effusum hac ratione liquidum contactu aëris atmosphaericí vel in lamellas tenues, albas, opacas, diversae magnitudinis, deciduas, mox renascentes —; vel in crustas iam exiguas, iam nimias, coloris diversi coalescit. Extra plague herpete obsessae ambitum rubor diversi gradus conspicuus, simul mali ultro serpentis indicium est.

Nonnunquam vesiculae in bullam liquido acri, semiopaco, flavescente coriumque ichoris tenuis instar arroden-te repletam confluunt; vel vesicula unica increscendo in bullam priori reliquis characteribus conformem attollitur.

Rete mucosum Malpighii rarius videtur unice eminentius adfici. Color, quem illud simul cum corio affectum in genere exhibit, vel roseus, vel cinnabarinus, vel lividus, vel carmineus, vel ex his duobus aut tribus confluens esse observatur, praecipuumque praesertim complicationum herpetis characterem largitur.

Corium trans rete mucosum et epidermidem flavorubellum, roseum, aut intense rubrum transparet. Vasa eius, quibus plurimis contextum est, praesertim circa pilos

aut horum rudimenta cryptasque sebaceas turgent; unde illud eminentiis reliqua certe elevationibus, circumscriptis, durioribus, altitudine, extensione, congerie, situ diversis (papulis pustulisve) asperum videtur. Ubi vero liquidum secretum acrimonia peculiariter praeditum aëre atmosphaericō non coagulandum omnem eius textum adgreditur, destruit, — desideratur (Ulcus).

Figura plagae, quam herpes tenet, iam est determinate circularis, iam annularis, iam indeterminate angulata, sinuosa, oblonga et herpete ambitum suum continuo ampliante diverso tempore diversa. Plagae plures penes invicem sitae diversissimas exhibent formas; in uno casu plague solitariae longae, tortuosae undis se invicem excipientibus simillimae apparuerunt.

Extensionis et copiae plagarum herpeticarum ratione habita, illae iam ad parvum, iam ad maius spatium restringuntur; nonnunquam maximam corporis partem velant; iam unica; iam plures vel plurimae numerantur.

Organismus ipse universus herpete in cuti comparente reactionis universalis particeps consuetim non est; nonnunquam tamen eruptioni motus febriles iam validiores iam mitiores praecedunt. Febris hoc tempore observanda constitutionis solum individualis progenies, accidentalis est; nihil enim quidquam, nisi conamen organismo materiam herpeticam in internis partibus degentem ad cutim, normalem illius sedem, deponendi indigitat.

IV.

B. Speciatim.

Characteres hi herpetem, quoad naturam quamvis semper eundem, forma tamen sua diversum esse arguunt. Omnem formarum eius diversitatem generali *Familiae* nomine complectimur, quam iterum iuxta notas eminentiores

pluribus formis proprias in *Genera*, haec vero in *Species* distinguimus.

Quod in hac partitione antecessores nostros secuti non simus, et morbum cutaneum ab illis *alio, non herpetis nomine* insignitum Familiae huius intruserimus, id propter ea fecimus, quoniam species enumerandas natura sua vere esse herpeticas ad lectos aegrorum observatione felique sanationis successu comperimus.

Herpes legitimus simplex.

V.

Familia Herpetis.

Characteres. Epidermidis coriique habitus generum morbi respectu diversus. Plagae maiores ultiro serpentes visibles, quarum color semper roseus dilutus, nunquam profundior aut alter; figura semper irregularis; extensio nunquam certam regionem versus directa; tota aequaliter adfecta.

VI.

Genus. Herpes papulosus.

Characteres. Epidermis instar lamellarum siccarum, maiorum, minorum aut minimarum, deciduarum, ast iterum renascentium secedit. Corium epidermidi subiectum in nodulos exiguos, aggregatos, rubellos, siccios, duriusculos (Papulas) elevatum est.

Species 1. *Herpes pap. furfuraceus* (farinosus, siccus, simplex, benignus Auct.).

Enascitur praegressis nonnunquam crebris urticariae insultibus in plaga cutis circumscripta, sicca, laevigata, tensione rugas et sulcos subtilem agente e papulis corii exiguis, racematin sitis, quarum superficies reti mucoso Malpighii contigua absque notabili cutis rubore liquidum manat parcum, epidermidem aridam attollens, findens, sup-

plens, quod vix generatum iam in lamellas parvas furfurem
mentientes, deciduas, sed regenerandas condensatur.

Plagae exiguae successive ampliatae per insignem non-
nunquam cutis portionem extenduntur. Plurimum frontem,
faciem, metacarpum, femora obsident.

Figura plagae incerta, angulosa, nonnunquam trian-
gularis est.

Species 2. *Herpes papulosus squamifer.*

Priore plague affectae, specie glabrae, rubore roseo
longe intensiori, elevatione supra reliquam cutis superficiem
eminenter, duritie cutis vix aliqua, lamellis maioribus
crassioribus, aspectus terrei, pallidis, non nitentibus dis-
tinguitur. Plerumque maioris membra cuiusdam super-
ficiem totam tegit, et tum magnam humoris viscidu in la-
mellas condensandi quantitatem secernit; in ambitu vero
maioris plague minores, ab invicem seiunctae, sicciores
visuntur. Eruptionem illius maior cutis orgasmus topicus
praecedit, imo febri quoque comitatur, unde sanatio illius
furfuraceo facilior.

Haec forma herpetis genuina rarissima non est con-
fundenda cum herpete leproso squamifero, cuius charac-
teres, ut infra (XXI) videbitur, distincti sunt.

VII.

Genus. *Herpes nodulatus.*

Characteres. Epidermis instar crustarum tenuum se-
cedit; corium in nodulos exiguos conicos attollitur.

Species. *Herpes nod. squamatus.*

In facie aut collo nodi exigui conici, baseos circum-
ferentia lentem non excedentes, segregati, initio cuti con-
colores, splendidi, serius pallide aut intense rubri propul-
lant, insigniterque pruriunt; qui altitudine sensim decre-
scendo quum planiores, tum simul latiores fiunt, vicini in-

ter se confluunt et crustis tenuibus vel crassioribus operiuntur.

Forma haec una e rarissimis est.

VIII.

Genus. Herpes vesiculatus.

Characteres. Epidermis in vesiculos parvas, aggregatas, liquidum secretum continentem, in crustam subtilem indurandas elevatur. Corium initio in ambitu vesiculae singulae durius, rubrum, elevatum, inaequale, humidum —; serius infra vesiculos foveolis, erosionibus notatum, ceterum glabrum appetet.

Species. *Herpes vesic. miliaris* (*phlyctaenoides*, *vesiculosus* Auct.).

Hic in plaga rosei coloris vesiculos offert omnem eius extensionem occupantes, liquidumque initio pellucidum serius opacum, subalbum, in crustas coloris diversi iam tenuiores, iam crassiores rigescens continentem; iamque exiguae seminibus milii haud absimiles, iam maiores, ambitu baseos saepe lentem aequantes, subhemisphaericas, saepe in bullam maiorem sine detrimento corii confluentes.

In rarioribus casibus ob nimiam epidermidis siccitatem nullae visuntur vesiculae, verum epidermis in directione diversissima fissuris subtilibus permeatur. Fissurae hae liquidum exsudant in crustas, illis herpetis miliaris genuini omnino conformes, consolidandum. Color corii interfissuras visibilis roseus saturatior, ipsius vero plagae herpeticae totius dilutior est.

Locus, quem herpes miliaris in corpore occupat, diversissimus esse solet.

Hydroa febrilia Auct. *Herpes labialis* Willani labium oris utrumque in limine, ubi pars rubra tenerior inchoat,

aut partem eorum mento vel alis narium viciniores, hinc inde auriculas obsidet, cum sensu tensionis, pruritus, tumoreque incipit, ac mox in vesiculas aggregatas, initio sero limpido, tandem opaco in crustam duriorem siccum, cuti fortiter adhaerentem abeunte repletas ultro non serpentes elevatur.

Haec morbi forma veris herpetis characteribus, quum rarissime serpat, destituitur; hinc unice huius familiae adnumerari non potest, etenim generatim omnis dyscrasiae cutaneae membranam mucosam organorum digestionis impetentis et inde disparentis index est. Hoc respectu cum *Zona* seu *Zostere* et *Urticaria* congruit, qui quidem morbi determinatae sunt formae, unam eandemque tamen dyscrasiam certam pro fundamento non habent.

Insolitam hydroa febrilia ostendere formam in N. N. femina quinquagenaria, hypertrophia labii vulvae maioris sinistri et ulceribus magnis introitum vaginae cingentibus, herpetico - scabido - syphiliticis, nosocomium intrante. In hac scilicet facta labii hypertrophicci amputatione et vulnere sanato febris intermittens quotidiana, hydrois in medio labii oris superioris comparentibus soluta, enata est. Hydroa ex hoc punto extendi et formam scabidam centrifugam induere visa sunt, ita ut ab angulo oris uno trans medium nasi usque alterum angulum peripheria illorum excurreret, et semicirculum fere completum ambitu suo describerent. Postquam hydroa hanc extensionem nacta fuissent, et aliquot diebus eodem vigore perstitissent, more consueto efformatis crustis exsiccata sunt.

IX.

Genus. Herpes pustulifer.

Characteres. Epidermis in vesiculam parvam, mox rumpendam — ; corium in conum durum rubrum, area rosei

coloris cinctum, mox applanandum, in medio epidermidis vesiculam gerentem elevatur.

Species. Herpes pust. crustaceus.

Huius e maculis, parvis, rubris incertae figurae, in medio vesiculam exiguum initio liquido limpido, dein albescente, flavescente plenam exhibentem exordium est. Contento vesiculae in crustam exiguum profundioris coloris mutato macula in pustulam elevatur, cuius apex liquidum circa crustam secernere continuat, quod successive augmento crustae inservit. Pustulae ad magnitudinem non nunquam pisi increscentes, basi sua durae, rubrae, solitariae aut aggregatae crusta efformata planiores fiunt, simulque ambitu auctae saepe inter se conflunnt ac maioribus teguntur crustis, quae colore, crassitie et extensione diversae, inaequales, scabrae, molliores, duriiores ob secretiōnem puris infra ipsas continuantem a cuti facile secedunt, moxque novis commutantur.

Corium infra crustas aut laeve, aut superficialiter erosum vel item exulceratum cernitur.

Quum pustulae in genere dyscrasiae scabidae propriae sint: multum est attendendum in diagnosi herpetis pustuliferi, ne cum herpete scabido commutetur.

X.

Genus. Herpes ulcerosus.

Characteres. Epidermis in bullam maiorem vel minorem, liquido in crustam non abeunte plenam attollitur. Corium infra bullam consumptum desideratur. Ambitus buliae late inflammatus coloris rosei est.

Species. Herpes ulc. rodens (depascens, exulcerans, phagedaenicus, esthiomenos Auct.)

Bulla e vesicula una maiori aut pluribus minoribus, initio liquido parumper limpido, serius vel sanguinolento vel sordide flavo plena enascitur, infra quam ruptam corii

resoluti loco ulcus formae angulosae, sinuosae aut oblongae reperitur, quod non solum corio, sed et partibus eiusdem subiectis infestum fieri solet. Comitatur tale ulcus tumor notabilis ruborque partis affectae inflammatorius. Signa tamen haec, ubi ulcus amplius factum est, dispare solent.

Dum ulcus hoc sanari incipit, cicatrice a margine centrum versus obduci consuevit.

Herpes legitimus complicatus.

XI.

Herpes morbis et acutis et chronicis iunctus esse observatur. Coniunctio haec aut temporaria aut permanens est. In priori casu vel nullum herpes in morbum alium et vicissim exserit effectum, vel morbo alteri organon aliquod corporis laedenti ita se adsociat, ut silente morbo priori organon per hunc laesum ultiro occupare continuet. Sic post febrim rheumaticam ligamenta, tendines, membranasque serosas —; post febrim catarrhalem laryngem, tracheam, bronchos —; post febres exanthematicas meatum auditorium, nares, oculos, glandulas lymphaticas etc. comprehendit. Observatur saepe eo loco, qui iniuria mechanica quadam labefactatus est, evolvi, unde in aetiologya mali eiusmodi non est aegri negligentia, sed praesentia dyscrasiae herpeticae in eius corpore arguenda.

Maxime est memorabilis herpetis cum alio morbo dyscrasico complicatio. In hoc casu morbus uterque tam arctum init connubium, ut ubicunque, sive in cuti, sive in partibus internis comparuerit, uterque simul compareat, imo iunctim generatione quoque propagetur, et formam e characteribus utriusque, illo tamen unius vel alterius predominantem, conflatam exhibeat.

Non obstante tamen arcto hoc morborum nexu natu-

ram singulus, quod probe notandum est, semper retinet distinctam, propriam, e. c. ubi syphilis universalis herpetica praesens est, per usum hydrargyri syphilis extinguitur, herpetica vero materies solum supprimitur, quae, qua parasitica, cessante hydrargyri vi vegetationem feriente, seu recuperatis corporis viribus et faventibus herpetis evolutioni rerum adiunctis toties reddit.

XII.

Complicatio herpetis sensu nunc ultimum memorato sumta locum quidem habere potest cum omnibus chronicis vegetationis morbis; ego tamen illas tantummodo referam complicationes, quas hucusque ad lectos aegrorum crebrius observavi, scilicet: cum *Scabie*, *Syphilide*, *Lepra*, *Carcinomate*, *Erysipelite*, distinctis utpote ab invicem dyscrasiis. Ex his coaluisse iam duarum, e. c. scabiei, iam plurium, ut scabiei et syphilidis, scabiei et carcinomatis; scabiei, syphilidis, leprae consuetudo est.

Quum una e nominatis dyscrasiis alteri evolutione sua constanter praevalere observetur: in designanda earum invicem complicazione ea utimur totius morbi denominandi methodo, ut praemisso herpetis nomine dyscrasiam maxime in corpore diffusam ultimo loco ponamus. Sic herpetem cum scabie et syphilide complicatum iuxta scabiei vel syphilidis praevalentiam: *Herpetem scabido-syphiliticum*, vel *syphilitico-scabidum* dicimus.

XIII.

Ut herpetis complicati forma in omnibus casibus recte discerni possit, attendendum est generatim

- 1) ad figuram ipsam efflorescentiae.
- 2) ad locum, quo occurrit.
- 3) ad colorem.

speciatim vero
4) in herpete scabido ad odorem.

XIV.

Herpes scabidus.

Characteres. Papulae, vesiculae, pustulae etc. forma sua et loco, quem tenent, scabiei notas —; omnes simul sumtae illas herpetis referunt; singulae ab invicem discretae sunt, et in plaga quadam herpetica dispersa esse conspiciuntur. Color totius plague minius, cinnabarinus, aut coccineus est; odor vero semper peculiaris, gravis.

Herpes scabidus, quoad modum ultro serpendi duplex distinguitur. Vel enim plague illius, in qua visibilis est, omnem extensionem aequaliter obsidet; vel e medio plague disparat, quum in peripheria illius ultro vigore continuat. In casu priori herpes scabidus nobis *aequaliter diffusus*, in altero *centrifugus* audit.

XV.

Herpes scabidus aequaliter diffusus.

A. Herpes sc. aeq. papulosus.

Quoad locum, in quo occurrit, diversa gaudet forma.

1. In superficie digitorum manus interna, et quidem plerumque in illa phalangis primae digiti quarti, digito medio opposita comparent phlyctaenae exiguae, acuminatae, multum prurientes, liquido diaphano, mox opacescente repleteae, aggregatae, quae scalptu consuetim ruptae exigua foramella, quasi acu terebrata, margine parum elevato circumdata in corio relinquunt. Haec pedetentim epidermide circa foramellum singulum ad distantiam exiguum soluta disparent; interim tamen novae erumpere continuant et pari prioribus ratione terminantur.

In facie interna digitorum pedis, halluce excepto, similes nunc descriptis propullulant phlyctaenae, pruriunt ni-

mium praesertim ubi pedes incalescunt, aut atmosphaerae mutatio aliqua ingruit, et sensum excitant formicationis aut morsus pediculorum, unde malum hoc hungaris Vak-tetü (pediculus coecus) dicitur. Foramella phlyctaenis succedentia liquidum acre irritans fundentia vel successu temporis disparent, vel in maiores soveolas efformantur. In casu priori liquidum acre epidermidem dealbat, eamque non solum inter, sed et infra digitos, praecipue in horum plicaturis solvendo corium denudat ac saepissime cum dolore pruriante urente excoriat, imo hinc inde exulcerat. In casu posteriori epidermis circa foramella infundibuli instar elevata incrassatur, scalpendoque per strata abscedit.

Haec herpetis scabidi forma a nobis *interdigitalis* dicta in calce quoque pedum, sed rarissime, obvia est.

Utroque loco hunc herpetem sudor pedum habitualis vel enaturum praecedit, vel cyanescensem comitatur.

~~de compump mali exponit in aliis aliis~~
dimicibus sua anteriora intimis et nullum iacto molitus erexit
Casus.

N. N. vir annorum 56, in adolescentia scabie, reliquo autem aetatis tempore usque 50um febris intermittentibus ac una vice hydrope cutaneo et abdominali adfectus fuit. Hydropem gastralgie crebrae pertinaces exceptere, quae postquam quatuor annis molestiae fuissent comparente herpete interdigitali manus utriusque sopitae sunt; verum pulso per inunctionem unguenti plumbati herpete, atrociores rediverunt. Hoc tempore in aegro consilio meo remedia sulphurica sumente gastralgiis propullulans herpes interdigitalis manuum successit, qui hoc loco tandem adeo effloruit, ut ad carpos quoque forma pustulifera extendetur, imo circa malleolos pedum etiam haec eadem forma et furunculoidea enasceretur, et utroque loco crustis crassis tegeretur.

2. In facie interna primae phalangis digitorum dorsoque manus, flexura cubiti interna, poplite ac regione praesertim epigastrica abdominis comparent, praecedente saepe urticaria, papulae maiores conicae apice phlyctaenulam minimam gerentes, aggregatae, quae praesertim in lecti tempore pruriunt et cuti, nisi scalptu irritentur, concolores sunt. Hic earum habitus in nonnullis individuis diutissime idem perseverat, desquamatio vix aliqua observatur; in aliis, squamulis magna copia generatis et scalpendo abrasis, in formam furfuraceam, vel tempore in pustulas scabidas veras mutatur. In omni casu scabiei diu iam, fors per plures annos in corpore latentis index est.

Eruptionem huius formae plurimis in casibus coloris abdominis in flavum profundiorem mutatio praecedit.

B. Herpes scab. aeq. vesiculatus.

A herpete simplici miliari colore solum cinnabarino differt. Hic color largitur characterem tum quoque, ubi sicca nimium cuti nullae visuntur vesiculae, sed epidermis solum fissuris permeata est.

C. Herpes scab. aeq. pustulifer.

Omnem quidem occupat corporis superficiem, externam tamen extremitatum superiorum et inferiorum faciem, interstitia digitorum manus et hinc inde pedis, mammarum areolas, abdomen, rarius dorsum praediligit.

Praecedente plurimum febre diversi gradus prurituque nocturno erumpunt pustulae aggregatae vel solitariae e parva macula emergentes, nunc seminibus milii haud maiores, nunc magnitudine pisum aequantes, excedentes (furunculi minores), et liquidum manant viscidum in crustas flavas, bruneas, aut nimium crassas aut tenues, squamis paucis vel plurimis interiectis consolidandum. Eruptioni pustularum, praesertim ubi morbus primitus parieti abdominali infestus est, mutatio coloris epidermidis in sordidum flavum vel terreum praegredi observatur. Corium epidermide

aut crustis orbatum colore cinnabarino-rubrum, superficie vero asperum, rugosum, sulcis subtilibus exaratum apparet. Inter plagas herpetico-scabidas pustulae solitariae saepe prodeunt, quae non alium, quam genuinum scabiei habitum ac decursum manifestant.

E plurimis, tantum in duobus casibus visus est talis herpes scabidus frontem, genam auriculamque occupasse. In utroque scilicet casu aegri scabie genuina affecti huic unguento quodam populari mederi conabantur. Unctionibus repetitis scabies disparere quidem, ast immediate in facie herpeti iuncta comparere visa est. Sumto remedio sulphurico, et exsiccato faciei herpete scabido scabies genuina in manibus evoluta est.

Sunt casus, ubi neglecta scabiei genuinae cura vel sub usu sulphuris ea multum propullulante ob nimiam pustularum scabiei copiam plagae ipsae herpeticae minus recte observari possunt, ast sanata ipsa scabie remanentes exacte videntur.

D. Herpes scab. aeq. varicosus.

Comparet specie macularum coloris sordide brunei pruritu nimio molestiarum, quarum superficies tuberibus pustulisque raris inaequalis parce liquidum fundit in crustas initio tenues, dein crassiores, sulcis dissectas, sparsas, aut per maiorem plagam continuas mutandum. Attente inspecta plaga e meris venarum maioribus minoribusve retibus compositum esse discernitur. Serpendo maculae semper insigniter dilatantur, saepe extremitates ipsas, praesertim tamen nucham dorsumque magnam partem obtengunt, supra reliquam cutim elevantur et fere semper omnem eius mutant textum, duram callosamque reddunt.

Haec forma herpetis quamvis et primitus oriatur, crebrius tamen sub decursu herpetis scabidi pustulosi neglectu diurno evolvi observatur.

Herpes scabidus varicosus etiam singulas venas cutis

maiores subcutaneasque afficit. Huius descriptio sub titulo *Herpetis anomali varicosi* (XXXVII) dabitur.

E. Herpes scabiaeque ecchymomatooides.

Forma haec una e rarissimis est. E quinque casibus a me observatis hanc eius imaginem concinnare audeo:

In extremitatibus, crebrius inferioribus quam superioribus, enascuntur maculae iam maiores, iam minores vel laete rubrae, cinnabarini coloris, vel lividae. Color laetior in illis visus est casibus, in quibus nullus alter praecessit morbus; lividus vero in illis, ubi morbi cutanei comparitionem febris diurna cachectica antecessit.

Macularum peripheria semper lacera visa est; augebantur autem illae lente solum et plerumque intra duas dies acmen evolutionis suae attigerunt, in quo stadio tribus aut sex diebus perseverantes dein pallescere, virescere, flavescere perrexerunt, demum desquamatione cutis subtili subsequentे penitus evanuerunt. Interim, dum aliae maculae hac ratione disparerent, novae propullularunt parique prioribus exitu notatae sunt. Saepe accidit, quod eodem loco, quo una expalluit aut disparuit macula, alia in conspectum veniat, et decursum priori congruum observet.

Adfuit in affecta hac ratione cutis plaga aut molesta dolorificaque tensio, aut pruritus dolorificus. Nonnunquam in macula ipsa maiores minoresve vesiculae liquido dia-phano plenae elevabantur, crustas tamen efformasse nunquam visae sunt.

Unicus tantum occurrit casus talis herpetis ecchymomatoidei centrifugi *), in quoniam enatae maculae centrum primo pallescere coepit, interim peripheria ultro exten-

*) Hoc uno tantum casu huius formae herpetis observato formam hanc, qua determinatam inter reliquas herpetis centrifugi formas inserendam dubitavi. Iudico tamen, si plures eiusmodi observati fuerint, eam, tempore, qua propriam statuendam fore.

debatur, donec e macula tantum annulus vel circularis vel vario modo tortus praeruber remaneret. Occupabat vero hic herpes puellae 15 annorum, febri nervosa affectae, extremitates inferiores, omnemque illarum superficiem tegabat. Oriebatur e punctis rubris dispersis, et ex his ampliatis, confluentibus evolvebatur.

E. Herpes scab. aeq. ulcerosus.

Pluribus sub formis occurrit.

a) Comparente in cuti herpete simplici indistincte evoluto eodem tempore vel paulo post oriuntur tubera dura, magnitudine diversa, nuce tamen avellana haud minora, iuglande raro maiora. Tubera haec, quae vix aliud quam glandulae lymphaticae cutaneae et textus cellulosus eas involvens sunt, successive emolliuntur, in pus convertuntur, cutim inflammant, rumpunt, et parcam puris spissi laciniis textus cellulosi intermixti, albicantis quantitatem exonerant. Corium in nonnullis casibus tuberibus superiectum repente consumitur et sui loco ulcera, in fundo materia puriformi tenaci (laciniis textus cellulosi in pus conversi) investita relinquit. Aspectus horum ulcerum maioribus furunculis fere aequalis est.

Ulcera ipsa profunda nunquam sunt; si nullum accedit auxilium medicum, crustis teguntur flavo-bruneis, quibus secedentibus fundum pure superius descripto tectum exhibent, vix augmentur, aegre solum sanantur; si plura in unum coalescant doloribus atrocibus stipantur; sanata cicatricem ipsam et ambitum eius colore bruneo notatum relinquunt.

Formam rarius offert aequaliter diffusam, saepe sub centrifuga occurrit, et in membris, quae comprehendit, cutim magnam partem destruit. Loci respectu raro brachiis, saepius cruribus amica in his ulcera pedum vetusta efficit.

Constituit vero intermedium inter *Herpetem erysi-*

pelaceum scabidum et *Herpetem tuberculosum anomatum* formam. Cum priori eo congruit, quod ipsa herpetis evolutio indistincta sit, nec scilicet rubor est notabilis, nec efflorescentiae ipsae bene distingui possunt, desquamatio imperfecta est. Posteriori eo affinem se exhibit, quod materiam excernendam in ambitu glandularum cutanearum colligat, dum herpes tuberculosus glandulas lymphaticas subcutaneas maiores* impetat.

b) Pustula una exigua praesertim in extremitatibus inferioribus cum maximo pruritu vespertino enascitur. Locus, quem occupat, pruritu urgente scalpendo irritatus inflammatur, et tum pruritus in dolorem urentem mutatur. Si ipsa pustula scalptu derasa est, liquidum manat tenui; acre, ipsum corium ei subiectum corrodens, in ambitu vero inflammans; si non est, in bullam maiorem ampliatur (confer X). Saepe ex unica pustula scalptu destructa intra 24 horas ulcusculum, quod tandem dietim increscit, formatur; nonnunquam vero circa primam plures aliae propullulant, singulae in ulcera solitaria abeunt et successu temporis in unum maius confluunt. Fundus horum ulcerum, si purus est, semper coloris cinnabarini est. Margines a primo inde origine duri sunt, temporis lapsu vero callosi fiunt, et ubi per menses et annos vigebant, area ampla flavo-brunea cinguntur. Nonnunquam ipsis naturae viribus sanari cernuntur, hinc inde consolidationi proxima cicatricem formatam denuo consumunt, musculos imo et ossa aggre- diuntur.

c) Pustulae plures discretae enatae magnitudine pisum aequant, apice suo albo-flavicaute pus parva quantitate fundunt, si comprimantur omne suum contentum exonerant; videtur tum exiguus infra corium hiatus, qui destructo corio in ulcus fundo purulento praeditum vertitur. Ulcus solitarium ambitu suo vix cruciferum cupreum austriacum excedit; si plura confluant, in ulcus maioris extensionis ver-

tuntur, et textu celluloso subcutaneo neglecto corium solummodo destruunt.

Quibusdam ulceribus cicatrice obductis novae in sana adhuc cuti pustulae propullulant; saepe in ipsa cicatrice punctum initio flayum sebo accumulato molli simile apparet, quod extensione ad magnitudinem lentis auctum in crustam flayo-bruneam abit, infra quam novum ulcus efformatum est. Id accidit, ubi cryptarum sebacearum fundus ulcere destructus non fuit.

Ulcera crurum antiqua semper e dyscrasia herpetico-scabida (et syphilitica) esse evoluta vel ipsa remedia in eorum sanatione proficua evincunt.

XVI.

Herpes scabidus centrifugus.

Herpes centrifugus scabidam nunquam non arguit naturam; quare tamen herpes scabidus nunc *centrifugus* nunc aequaliter diffusus cernatur? ex observationibus meis hucusque factis determinare non valeo, nisi characteri huic centrifugo dyscrasiam quandam ignotam, quae omni alia materiali praeter centrifugam forma destituitur, subesse supponam. Non sine pondere in hac re est, quod character centrifugus non solum herpeti ipsi, sed et erysipelati proprius est, quod iterum, ubi centrifugum est, nunquam sine nota scabida reperitur. Idem et de lepra syphilideque notandum.

XVII.

Herpes sc. centrifugus omnibus iis, quibus simplex, gaudet formis.

A. Herpes scab. centrif. papulosus (Lepra vulgaris Bateman. Herpes furfuraceus circinnatus Alibert).

Praeter formam centrifugam a herpete simplici huius nominis non differt.

B. Herpes scab. centrif. vesiculatus.

In peripheria plagae circularis, rarius ovalis, vesiculas offert exiguae, rubore levi circumdatas, haemisphaericas, liquido primum pellucido, dein opaco plenas, in crustas tenues coloris flavo-brunei exsiccandas. Medium huius plagae cuti reliquae plus minus concolor aut rubellum, scabrum squamulis exiguis tectum est. Sub prima eruptione determinata hac sua forma non statim solet gaudere, verum aream vesiculis plenam exhibit, et ubi vesiculae exarescentes ex hac disparuerunt, in ambitu illius novae propullulant. Nec successu temporis circularem in omnibus casibus retinet formam, verum in certa quadam directione non sine ambagibus celerius extenditur, vesiculos tamen semper in peripheria solum generat. Nonnunquam dum membra ambitu minora, uti digitos, antibrachium, cruraque comprehendit, integri circuli loco segmentum illius maius falcis instar conspicitur.

Aliquando et centrifugus duplicatus obvius est. In peripheria scilicet plagae orbicularis rubicundae maioris minores, solitariae, ambitu annulari-circulares aut ovales, vesiculis circumcinctae segregantur; omnes itaque simul sumtae segmentis suis cuti sanae contiguis orbem referunt. Vesiculae in his aliae praemature exsiccantur squamulasque formant, aliae normalem observando cursum in crustas bruneo flavas abeunt.

Vel circulo uno enato et ad diametrum unius aut duorum pollicum ampliato in centro novum punctum rubrum mox annulum novum efformans enascitur.

Huc referendus est herpes sc. centrifugus, qui *Iris* audit. Hic annulis pluribus concentricis diversi coloris vesiculis parvis tectis componitur. Scilicet in medio plagae herpeticae observatur vesicula maior liquido opaco repleta, mox evanescens, quam annulus coloris bruneo-rubri ambit; hunc alter, colore vesiculae similis cingit; hunc ter-

tius coloris profunde rubri; hunc quartus dilute rosei excipit.

Haec forma fere omnium rarissime obvia est.

C. Herpes scab. centrif. pustulifer. A herpete scabido pustulifero forma solum differt.

D. Herpes scab. centrif. ulcerosus.

E bulla pluribus vesiculis conflata, aut e pustulis maioribus discretis evolvitur. Circularem formam fere nunquam observatur habere; plerumque dum ex uno latere corium serpendo destruit, ex alio cicatrisatur, hacque ratione per membra nonnunquam integra itineratur et non raro in plures disiungitur insulas. Vel granulatio cito cicatrice solidanda in medio ulceris fit conspicua, versusque margines protenditur, dum exulceratio oras ultro, hic citius ibi tardius ampliare continuat; unde ulcus aequa ut in priori casu in plures discedit insulas. Reliquis characteribus herpeti scab. aequaliter diffuso ulceroso est similis.

XVIII.

Herpes syphiliticus.

Ut connubii herpetis cum syphilide expositio distinctior sit, pauca haec praevie monuisse concessum sit.

Syphilis duabus sub formis primitus oriri observatur: *blennorrhœica* scilicet et *cancrosa* *).

*) Diversam syphilidis cancrosae et *blennorrhœicae* indolem vel ipsa attenta *condylomatum cancrosorum* inspectio evincit; in tali enim casu excrescentiarum condylomaticarum vel omnium vel pluriū superficies superior cancro tecta cernitur, et sanato cancro specifico suo remedio condylomata pro se remanent. Imo si *blennorrhœa syphilitica* cancerque syphiliticus eodem tempore in eodem occurrant individuo, cancerque sanetur, *blennorrhœa* vero remaneat: ex hac condylomata evolvuntur, dum serius syphilidis universalis cancrosae nulla signa observantur. Denique virus *blennorrhœicum* eo etiam a cancroso differt, quod ulcera faucium e *blennorrhœa* secundarie evoluta et forma et indole sua a cancro vero distincta sint.

secundarius, si producti eorum ultimi habeatur ratio, in systemate cutaneo diversus evolvitur; · blennorrhœa enim syphilitica qua productum specificum condyloma successorem agnoscit, cancer vero syphiliticus iterum cancro terminatur. Symptomata in systemate osseo serius ocyus manifesta utriusque syphilidis formae communia sunt.

Quum symptomata utriusque syphilidis formae omnia invicem comparata eius sint indolis, ut morbum hunc unice cutaneum arguant: herpes, qua morbus cutaneus ex hac sola affinitate utriusque syphilidis formae facile iungitur. Haec unio tam firma est, ut generatione quoque propagetur. — Hinc patet herpetem syphiliticum aut esse *adquisitum* aut vero *haereditarium*, cuius ulteriori expositioni, utpote tritae nimium, supersedendum censemus.

XIX.

Herpetis syphilitici characteres. Efflorescentia cutis in genere herpetis formam —; in specie locus, quem ob-sidet (genitalia et horum ambitus, orificium ani, nates, frons, nasus, faux, crura), syphilidem notat. Color vel purpureus vel coerulecenti-lividus seu violaceus circumscriptus. Ulcerum habitus syphiliticus. Pilorum, si par-teis his tectae impellantur, pernicies. Eruptioni huius efflorescentiae fere semper dolores chronicci ossium longorum praecedunt, disparitionem comitantur.

1. Herpes syphiliticus blennorrhœicus.

A. Herpes syph. bl. papulosus. Initio comparent maculae coloris dilute bruneo-violacei, colore serius profundiore sordido tingendae, prurientes, haud durae, lente solum limitem augentes, desquamatione subtili furfuracea notatae, praecipue fronti, cruribus minus amicæ; reliquis characteribus generalibus herpeti papuloso furfuraceo simplici congruae.

B. Herpes syph. bl. vesiculatus (Herpes genitalium 1. — praeputii internus, 2. — externus, 3. glandis. J. Frank).

Hic herpes vel proruptione vesicularum paucarum multum prurientium, liquidum subdiaphanum continentium —; vel maiorum materiam sebaceam acrem, densam recondentium absolvitur. In casu priori ruptis vesiculis aut superficialis remanet excoriatio cicatrice cito obducenda, aut crustae flavae, flavo-bruneae, tenues, molles efformantur; in posteriori erosiones superficiales fundo pure tecto, marginibusque mollibus haud prominulis praeditae, prurientes, usu hydrargyri topico facile exasperandae enascuntur.

Materia sebacea in folliculis glandis penis aut praeputii quodanmodo obturatis collecta epidermidem in vesiculos albas superficie superiori planas aut rotundatas, excoriatione infra illas vix aliqua conspicua, elevat. Leve hoc vitium immunditiae comes. Distinguitur a herpete syphilitico vesiculato vesiculis solitariis, pruritu exiguo aut nullo et nullo in ultiro serpendum nisu.

C. Herpes syphiliticus pustulifer.

Cum pruritu et ardore in diversis corporis partibus macula coloris purpurei vel violacei enascitur, quae vel in pustulam humilem, basi luteam, duram, in medio sui vesiculam liquido opaco flavicante plenam elevatur, vel sine pustula supra superficiem cutis reliquam durior evadens attollitur. In casu priori pustulae vesicula in crustam duram, crassam, plerumque bruneam, rarius virescentem exarescit, et fundo suo magis minusve adhaeret. Interim basis pustulae dura coloris purpurei ultiro extenditur ac circa pustulam primam novae propullulant, aequi in

crustam priori similem mutandae. In casu posteriori macula initio plana, laevis, splendens, serius superficiem inaequalem exhibet, et in pustulam unam aut alteram, humilem, area coloris intensi cinctam, vesiculam flavicantem gerentem, in crustam squamiformem abire solitam, prorumpit.

Dilatatio herpetis ratione nunc memorata ultro continuat, et saepe plagam cutis notabilem obruit. Extensionem plagae plurium macularum in unum confluxus multum alleviat.

Sub crustis fortuito vel vi a cuti solutis corium aut est laeve tenuum, subtilissimo epithelio obductum, coloris purpurei vel violacei, aut epithelio orbatum, vel superficialiter erosum. Crustas demtas aut novae supplent, aut squamae solum crustiformes. Ubi crustis squamae successere, hae successu temporis sponte decidunt et locum, quem tenuere, cicatrice splendente, coloris dilutioris notatum visui offerunt. Cicatrix talis squamis saepius regeneratis, denique evanescentibus niveum adipiscitur demum colorem, dum interim reliquus plaga herpeticae color pristinus perseverat.

In aliis casibus sub crustis excrescentiae condylomatcae enascuntur. Consistunt hae in carunculis duris, apiculatis, lineam et ultra crassis ac altis, fronti, faciei parti nasali, alis narium, mento tibiisque propriis. Sedent vero in plaga herpetica elevata, subdura, incrassata. Crustae in superficie excrescentiarum malo diutius durante desiderantur.

Forma herpetis syphilitici blennorrhoidi pustulosa frequentissima omnium aliorum est.

2. Herpes syphiliticus cancrösus.

D. Herpes syph. cancr. ulcerosus.

Ulcera veros cancros syphiliticos per herpetem tamen

ita modificatos, ut in profundum neutquam tendant, in latum quoque lente solum augeantur, exhibent. Ulcera marginibus duris, quasi abscissis praedita ad exiguum distantiam area purpurea cincta, fundoque lardaceo cinerascente notata sunt. Praeprimis praeputio aut corpori penis ac orificio vaginae nec non labiis vulvae maioribus quidem sunt propria; tamen et in femore et in angulo oris visuntur.

XX.

Herpes syphilitico-scabidus et scabido-syphiliticus.

Characteres trium dyscrasiarum, scilicet herpetis, scabiei et syphilidis hic quoque a figura, colore et loco plagaet affectae petuntur. Figura in genere herpeti propria est; locus, in quo comparet, ille est, quem syphilis et scabies (altera alteri praevalens) praediligunt; color mixtus e *cinnabarino* et *violaceo* fit *plumbeus*, aut *profunde bruneus* vel *cupreus*; e *cinnabarino* aut *coccineo* et *purpureo carmineus*. Odor peculiaris nunquam desideratur.

A. Herpes scabido-syphiliticus furfuraceus.

Hic regioni solum genitalium est amicus, et propterea **Herpes genitalium vulgaris** dicendus. Scrotum, radicem penis ac femorum, labia pudendi feminei maiora, perinaeum ambitumque ani occupat. Insignitur marginibus plagaet laceris, colore cutis plumbeo aut profunde bruno, pruritu nimio molesto, qui circa orificium ani, aut in perinaeo lacessens consuetim haemorrhoidibus coecis adscribitur; et dum genitalia femoribus approximatis contactui aëris atmosphaerici subducta sunt, plagaet madore continuo, nec non odore viroso —; dum vero femoribus divaricatis contactui aëris exposita sunt, farina parca subtilissima, praesertim tritu producenda notatur.

Nonnunquam forma sua centrifugus est.

B. Herpes scabido-syphiliticus nodulatus.

Vario modo enascitur, variumque observat evolutionis eursum.

a) Incipit colore diluto cinnabarino in plaga duriuscula nodulis parvis depresso, semine milii haud maioribus inaequali, qui efformatis super illos saepius squamulis surfuraceis sensim ad magnitudinem lentis increscunt, rubrioresque fiunt, extensione lente augmentur, desquamatione exigua notantur.

Haec herpetis forma nasum, supercilia ac collum facile implet.

b) Infra epidermidem nitore naturali orbatam, siccum noduli exigui conferti cuti concolores propullulant, epidermidemque aridam attollunt, quae mox in lacinias exiguae fissa sensim abscedit. Corium denudatum nodulos copiosissimos, asperos, exsuccos, coloris minii visui offert, quos mox squama nova, initio continua subtilis — per quam papulae colore dilute cinnabarino transparent —, serius crassior, opaca, in lacinias plures exitu priori simili finienda obducit.

c) Noduli coloris cuprei aut minii mox ad magnitudinem lentis, raro usque eam crucigeri austriaci cuprei augendi, duri, tumidi in parte capillata capit, fronte, dorso cruribusque oriuntur, et absque vesicula ulla in superficie squamas albo-flavantes diversae magnitudinis efformant; diu nimium eodem in loco perseverant et postquam tumorem duriusculum amiserunt, colorem cupreum retinent.

C. Herpes scabido-syphiliticus miliaris.

Glandem penis praeputioque internam superficiem diligat et semper centrifugus esse solet. Reliquis characteribus omnibus tribus dyscrasiis, ex quibus componitur, conformis.

Huc referenda est forma peculiaris, *variolis* humanis simillima, quae in tribus tantum hucusque individuis mihi occurrebat.

Scilicet cryptae aliquot sebaceae in pene, facie femorum interiori plicaque horum inguinali, hypogastrio, labio pudendi feminei maiori in nodos albo-flavicantes segregatos, subduros, rotundatos, in medio umbilicatos attollebantur, magnitudine semen milii, imo pisum aequabant, e tribus — quinque acervis sebi ab invicem septis disiuncti inque circulum dispositi, epidermide subtili obvelati componebantur. Nodi hi digito compressi ex umbilico medio sebum induratum, quale acnis est proprium, reddiderunt, a cuti avulsi excoriationem superficialem facile sanandam reliquerunt.

Vir, in quo haec forma observata est, affectus fuit ulceribus pedum herpetico-scabidis, et nodi, dum ulcera pedum sub usu remediorum sulphuricorum exsiccati coepissent una cum baryecoia enati sunt. Puella vero una herpete anomalo rheumatico ac blennorrhœa vaginae laborabat, hancque mali formam silentibus doloribus rheumaticis obtulit. Serius haec forma blennorrhœae copia auctae et scabiei herpeticae universam corporis superficiem obruenti cessit. Aliae puella gravaula ulcera herpetico scabido-syphilitica nymphæ et labii maioris dextri lateris et plagam eiusdem mali complicati magnam ad femora et pli-cam inguinalem extensam visui obtulit. Cryptarum sebacearum peculiaris habitus supra descriptus in medio femoris ac plica inguinali visebatur.

D. Herpes scabido-syphiliticus pustulifer.

Incipit exigua pustula humili area exigua carminei coloris praedita, e medio cuius vesicula statim liquido opaco plena elevatur, liquidum hoc plerumque intra viginti quatuor horas in crustam abit bruneam, circa quam epidermis

instar tenuis lamellae solvitur et cum crusta mox secedit. Dum hac ratione pustula in maculam rubram mutata est ea aream suam ultiro extendit coloremque bruneum aut cupreum adipiscitur. Epidermis successive saepius in squamam crustiformem ad medium maculae restrictam abit, ast squamarum eiusmodi formatio longo tempore non durat, ideo macula denique remanet aequali colore bruneo aut cupreo tincta.

Obsident vero maculae cranium, frontem, mentum, manus, dorsum, nates, hypogastrium, crura ac pedes.

E. Herpes syphilitico-scabidus bullosus seu pemphigoides.

Morbus bullosus, qui Pemphigus auctoribus vocatur, propriam quidem habet formam, naturam tamen a nobis nunquam aliam quam scabiei habuisse observatus est. Et enim nobis solum in individuis vel manifeste scrophulosis, vel a parentibus herpete scabido affectis natis, vel eodem tempore distinctissimis herpetis scabidi symptomatibus laborantibus obvius fuit.

Fere quotidiana probat observatio eos, qui peculiari teneritate cutis gaudent, quorum systema dermaticum externum succulentum est, dum scabie impetuntur, aut hanc unguentis represserunt, in pedibus rarius, in manibus frequentius pustulis veris scabidis in bullas increscentibus corripi. Nisus pustularum in formationem bullarum et tum manifestus est, cum pustula scabida pressione destruitur; tum enim in ambitu pustulae epidermis materia infra illam puriformi secreta nonnunquam ad distantiam 4—6 linearum elevata impletur et aegre sanatur. Idem fit si cutis ipsa quoquo modo, etsi levissime, laedatur.

Incipit herpes syph. scab. pemphigoides maculis exiguis coloris profunde cuprei, qui consuetim noctu in vesiculos magnas (bullas) liquido initio diaphano, tandem

opacescente, coloris sordide flavi replendas elevantur. Liquidum consistentiam puris nunquam adipiscitur, imo fluiditate aquae gaudet. Raro videtur bullis liquidum sanguinolentum contineri; saepius, ubi colore tali notatae sunt, corium translucens hunc colorem bullis impertitur, liquidum enim ex rupta bulla diaphanum effluit et epidermide dehiscente corium rubens videri potest.

Odorem spargit gravem peculiarem.

Bullae initio paucae sunt, serius multiplicantur et eodem tempore in eodem membro aliae e macula enasci, aliae liquido diaphano impleri, aliae materia puriformi extendi, aliae evacuato contento suo collabi observantur. Exarescentibus bullis plaga remanet coloris livido-brunei.

Occupant vero initio extremitates inferiores, serius genitalium regionem, frontem, pectus, brachia ipsa.

Exsiccatis bullis, plaga quam tenebant coloris bruneolividi, herpeticum induit habitum eumque diu nimium retinet et crustis squamaeformibus operit.

Casus.

N. N. miles emeritus annorum 38, aetatis anno 23. scabie, 33. phimosi ac ulceribus cancrisis penis, 35. vero bullis tribus maximis in dorso enatis liquidoque puriformi plenis affectus fuit. Sanato ope unguenti cuiusdam hoc malo ultimum memorato febri praevia bullae diversae magnitudinis in toto eruperunt corpore, fereque intolerabili planitarum pedis ardore comitatae sunt. Bullis exarescentibus et plantarum epidermide (sub qua liquidum tenue foetidum collectum erat) instar calcei secedente remansit omnium plagarum bullis tentatarum livor, squamarumque tenuium formatio diurna eo usque, donec post tres menses totus morbus bullosus recrudesceret, quo pari priori modo terminato et intra anni spatium bis adhuc revertente aeger quinta vice eodem affectus ad nostrum accessit nosocomium. Exhibuit tum extremitates, praesertim inferiores, nates, dor-

sumque maximam partem colore livido-bruneo tincta, bullisque magnitudine lentem — ovum columbinum aequantibus, liquido iam pellucido iam opaco flavicante, albescente plenis; halone angusto minii coloris cinctis, prurientibus, maxime circa genua confertis, nec ipsi peni parcentibus tecta. Bullarum evacuatorum plaga singula et plures confluentes exarescentes herpeticum induere habitum visae sunt. — Nec sub eruptione nec sub decursu sequenti illarum febrilis observata est coenaesthesia alteratio.

In hoc casu morbi momenta anamnestica et praesentia trium dyscrasiarum, de quibus sermo in superioribus est, connubium indigitant; remedia specifica in omnes tres adhibita et morbum tollentia et cutis colorem normalem iam a tribus inde annis vitiatum restituentia evincunt.

F. Herpes scabido-syphiliticus ulcerosus.

Huius quoque in genere forma e formis herpetis scabidi et syphilitici componitur, in qua determinanda dyscrasiae syphiliticae blennorrhooicae vel cancrosae unio maxime momentosa est.

a) Forma herpetis scabido-syph. blenn. ulcerosi.

Ulcerum in genere haud profundorum, lente in latum augendorum fundus est coloris cinnabarini aut coccinei, margines autem abscissi, duri, callosi sunt; ambitus est coloris livido-brunei, circumscripti. Occupant ulcera praeputium, nymphas vel introitum vaginae; aut nates, crura, antibrachia, frontem, partem capillatam capit, mentum, rarius pectus. Si continuo aëris contactui exposita sunt, crustis teguntur diversi coloris, crassis, compactis, in medio conchaceis, duris, margine vero mollioribus, purulentis, ob collectionem puris infra ipsas maiorem a fundo suo facile secedentibus.

Quum haec morbi forma consuetim contrisuga sit, in partibus, quas obsidet, varios agendo gyros extendi solet.

b) Forma herpetis scabido-syphilitici *cancer ulcerosus*.

aa) Si ulcus solitarium magnumve sit, parum profundum est, eiusque superficies coloris cinerei, aut habitus lardacei est; durities totius ulceris insignis, tumorque notabilis; marginibus elevatis, quasi labiatis cingitur, lente ast pertinaciter augetur perniciemque parti comprehensae insert, unde illius textura omnis sensim destruitur. Si topicis remediis applicatis fundus eius depuretur, ille colore cinnabarino aut minio notatur, nec sanatur, imo ichor tenuis, quem secernit, partibus comprehensis exitialis fit, unde ulcus tale excavatum, multumque successu temporis profundum et parum esse cernitur.

bb) Si ulcera parva magnoque numero adsint, eorum fundus reliquis partibus elevatior est habitumque lardaceum ostendit. Illa tum lente solum augentur, aut minora cito sanantur, maioribus remanentibus, sereque nullo comitantur in ambitu tumore. Si depurentur, fundus dehiscit, coloreque cinnabarino imbuitur, margines vero purum prominent.

Occupant vero utriusque habitus ulcera tantum genitalia virilia et feminea (coronam glandis, praeputii superficiem internam, item nympharum introitumque vaginae), saepeque *bubonibus racemosis* comitantur. Scilicet singulae glandulae inguinales post invicem ad magnitudinem castanei intumescunt, hacque ratione in tumorem notabilem superficie inaequalem connectuntur, in quo tactu singulae glandulae tumidae percipiuntur. Tumori supertensa cutis longiori tempore coloris manet normalis. Dolor fere nullus est. In hoc statu herniae inguinali⁴⁾) morbus hic est similis. — Bubonis huius racemosi glandulae eodem ordine, quo intumuerunt singillatim inflammatione lenta corripiuntur, et in abscessus segregatos, rarissime confluen-

⁴⁾ Unicus fuit casus obvius, ubi praesente bubone racemoso hernia inguinalis post adstrictionem virium enata est, et facta taxi *bubo* remansit, serius sanatus.

tes abscedunt, qui parva fusa puris quantitate clauduntur, at saepe alio loco aperiuntur; abscessum formatione diutius durante tumor bubonis induratur, coloreque livescenti bruneo tingitur, plurimisque cicatricibus variegatur.

G. Herpes syphilitico-scabidus varicosus.

A herpete scabido varicoso colore suo violaceo bruneo et loco, quo occurrit habitu suo externo differt; occupat scilicet manus, pedes, nasi alas, aures, nates, ambitum genitalium, nonnunquam regionem parotideam et tempora, rarissime nucham. In uno casu corona glandis penis varicibus plurimis cincta a nobis observata est.

Casus. N. N. virum praecedenti vitae tempore, quantum meminit, semper sanum transacto aetatis anno 40. dolores pedum ac manuum exercere coeperunt, quibus intensitate successive auctis partium nominatarum tumor, maculis oblongis, rotundatis, maioribus minoribusve, coloris pallide violacei inspersus successit. Tumore earundem partium aucto maculae sensim in tubera elevabantur, coloreque plumbeo tincta sunt. His similia in pinnis narium auriculisque nasci continuarunt.

Conspeximus in aegro (postquam ille diversis remediis, ut helleboro, cicuta, iodo, arsenico et aliis minoris efficacie spatio fere duorum mensium exiguo cum emolumento fuisset usus) auriculae utriusque faciem posticam superiorem tuberibus super invicem congestis, lividis, tactu mollibus, magnitudine pisum nucemque avellanam aequantibus, liquidum loturae carnis simile manantibus refertam; pinnas narium tuberibus minoribus coloris aliquantum laetioris, durioribus, aggregatis, conicis obsessas; pedum digitos et plantas, manus utriusque digitos, metacarporum dimidium digitis vicinum tuberibus aggregatis, iam multum, iam pallide lividis, subduris —; iam solitariis, iam confluentibus, altioribus humilioribusve, siccis; iam levibus,

iam sulcis subtilibus permeatis, hinc inde plagis intaminatis integumentorum interiectis foeda; dorsum hallucis manus sinistrae, nec non pedum plantas ulceribus, e ruptis tuberibus enatis obductas. Ulcerum fundus tuberibus carnosis inaequalis textum cellulosum sordide flavum, liquido aquoso phagedaenico madidum exhibuit. In cubitu, genu maculae coloris plumbei, sensus non expertes, parvae, vix ultra superficiem cutis elevatae iisdem, quae varicibus reliquis originem dederant, similes occurrabant. Dolores partium affectarum continui scindentes, pungentes, urentes aegrum quiete tam nocturna, quam diurna spolarunt; tumor vero illarum rigentium usum omnem cohibuit.

In hoc statu remedia, quae exhibita sunt sulphurica, praeter quod maculas lividas tuberibus interiectas dissipant, intra duos menses, post quod temporis spatium aegrum nostalgia correptum ad lares patrios remisimus, nil aliud praestiterunt.

XXI.

Herpes leprosus.

Lepra omnium herpetis formarum hucusque enumeratarum socia quidem esse potest, plurimum tamen herpeti scabido vel syphilitico - scabido iuncta deprehenditur, et persaepe quoad serpendi modum centrifuga est.

Characteres. Notae herpetis cuiuscunque generis hucusque expositae. Crustarum loco squamae nitoris margaritacei aut argentei nonnunquam tenues, nonnunquam crassiores e pluribus stratis coalitae. Color cutis squamis avulsis conspicuus —, locus et extensio efflorescentiae reliquos complicationis characteres largiuntur.

A. Herpes scabido - leprosus.

Initio oritur macula lentiformis coloris cinnabarini, e cuius medio vesicula miliaris elevatur. Vesiculae liquidum brevi tempore in squamam albam nitoris margaritacei mu-

tatur. Crescit nunc squama haec pedetentim et extensione et crassitie; simulque rubor in ambitu illius ultiro ac ultiro, ast lente extenditur.

Squamae generatae maiorem nunquam obsident plaga-
gam, et ubi iam diutius eodem in loco perstitissent, sen-
sim in marginibus solvantur, decidunt, nec iterum, nisi
vi avulsae, eodem vigore regenerantur, verum easdem sub-
tilis tantum squama mox decidua supplet.

Nonnunquam squamae coloris et splendoris margari-
tacei tantum sub ulteriori cuiusdam herpetis formae evolu-
tione generari observantur.

Herpes scabido-leprosus saepius centrifugam observat
figuram.

B. Herpes syphilitico-leprosus.

Oritur e nodulo parvo in maculam magnitudine lentem
vix aequantem coloris violaceo-purpurei vel cuprei abeunte.
Macula haec mox in medio albescere incipit, tandem tota
album induit colorem, i. e. squama obducitur subtili, quae
successu temporis crassior splendensque fit; ubi hoc acci-
dit, eadem in medio rumpitur sensimque a cuti solvitur.
Tum cutis color idem, qualis ipsius primae maculae fuit
in conspectum venit; in ambitu maculae interim rubor ex-
tendi observatur, et dum maculae centrum squama sua or-
batum est, in ambitu illius prius solum rubro alia fit con-
spicua; haec ubi decidit centrum maculae denuo nova est
obductum. Sic ultiro squamae efformatio ruborisque versus
peripheriam progressus longo alternant tempore.

C. Herpes syphilitico-scabido-leprosus.

Noduli conici coloris dilute cuprei magnitudine lentis
e corio exsurgunt et postquam aliquo tempore viguiscent
apice applanantur, albescunt et squamulam albam argentei
nitoris efformant. Interim novi penes primum noduli pro-
pullulant. Postquam squamula super nodulis saepius effor-

mata suisset, illi sensim planiores sunt, demum colore cupreo, in loco, quo floruer, retento evanescunt. Quum interim in marginibus novi oriantur, facile centrifugam indeolem assumunt; genuino centrifugo tamen chartere propterea destituuntur, quod colorem cupreum in centro retineant, et eodem loco, e quo disparuerunt, facile renascantur. Hoc tañen phaenomenon e complicatione huius formae cum syphilide prouum habet explicatum.

XXII.

Herpes erysipelaceus.

Characteres. Plagae affectae figura herpeti —, inflammationis habitus erysipelati est proprius.

Prout cutim ipsam aut una cum cuti textum cellulosem eidem subiectum adgreditur, dupli sub forma obvius est.

A. Herpes erysipelaceus cutis.

Praecedente febri continua diversae intensitatis, diverso tempore durante comparet: rubore circumscripto marginibus laceris praedito, tumore ad ipsam plagam rubentem restricto, bullis, si adsint, in margine praeprimis plagae erysipelatosae enatis, lento mali ultro progressu, desquamatione diurna saepius repetita, ruboris, dehiscente quamvis tumore, diutius praesentia, nonnunquam oedemate remanente.

Diligit praeprimis herpes erysipelaceus cutis caput, cuius vel auriculam primitus impedit vel frontem, vel nasum, rarius genas. In rarissimis casibus crura aut brachia adgreditur; nonnunquam herpetem crustaceum post se relinquens.

Quum hoc erysipelas in illis occurrat individuis, qui scabiem perpessi sunt, superficiemque nunquam offerat laevigatam, et sub desquamatione cutim reddat similem illi, qualis post scabiem consuetim deprehenditur, nobis haec

Erysipelatis forma in praxi nosocomiali: *Erysipelas scabidum* audit.

B. Herpes erysipelaceus textus cellulosi subcutanei (Pseudo-Erysipelas *Rustii*, Syndesmitis erysipelatoidea *Bonordeni*, peculiaris herpetis forma *Nonnullorum*.

Febris continua saepius polycholia stipata hanc quoque herpetis formam fere semper praegredi observatur *), Rubor cutis initio pallidus, aequaliter diffusus circumscriptus est, tumor notabilis, duriusculus, ad rubentem plagam limitatus, dolens percipitur. Tumore collabente rubor in certo plagae inflammatae puncto colligitur, in reliquis vero disparet. Rubor heic loci sensim in livescentem fere intenditur, novoque tumore, priore duriore, comitatur. Hic morbi status per duas tresve dies perseverat; tum medium tumoris novi integra adhuc cuti magis livet, molle fit et manifestam exhibit fluctuationem. Si nunc abscessus praecox instituatur oncotomia, facile in alio puncto novus oritur; si vero ille maturationi ulteriori committatur, pus in textum cellulosum infiltratur et sinus diversorum meatum procreat, simul cutim maiori extensione a partibus subiacentibus separat, nec aliter naturae opera aperitur, quam corii abscessum velantis sphacelo, qui iam ad minimum punctum restringitur, iam ad notabilem plagam extenditur. Sanies pure mixta, quae in abscessu tali continetur sanguinolenta et acris laciniis maioribus textus cellulosi consumti, linteamini carpo pure imbuto haud dissimilibus referta est. Laciniae tales aperturam in cuti sive sponte,

*) Hucusque unicus occurrit nobis casus, ubi febris nulla adfuit. In viro 45 annorum erysipelas primo occupavit crus sinistrum, in quo efformata plurima tubera subcutanea emolliri coeperunt, dum erysipelas femur eiusdem lateris impetiit, quo facto tubera resorpta sunt, ast in femore ingens abscessus sinuosus enatus est; hoc evacuato et consolidationi proximo erysipelas novitus crus idem invasit et abscessum priori longe maiorem adduxit, quo sanato sanitas reversa est.

sive arte factam obstruunt et nisi instrumento extrahantur, ibidem diutius haerent. Evacuato abscessu saniei purisque generatio, quamvis parcus, ultiro continuat; textus cellulosus cuti sub-musculisque interiectus latius ac latius consumitur. Nisus in suppurationem genuinam ac in somatogenesim in iuvenibus debilis, in senibus vix ullus observari potest.

Si saniei secretio quoquo modo impediatur, in alia eiusdem membra plaga facile novum enascitur erysipelas, cuius exitus priori similis est.

Ubi disparente erysipelate in eius ambitu abscessus plures enascuntur, ibi morbus characterem herpetis erysipelacei centrifugi arguit; in quo dum rubor et tumor e medio disparent, in ambitu marginibus laceris circumscriptis praedito remanent, augmentur et in certis punctis colliguntur. Tactu sub cuti his locis tubercula plura percipiuntur, quae dolorifica sunt, et haec sunt, quae inflammata in abscessus abire solent. Accidit, ut enato maiori abscessu tubercula vicina iam emollita resorbeantur.

Fit nonnunquam, ut inflammatio erysipelacea neglecta cuti in textu celluloso iuxta decursum vasorum lymphaticorum maiorum proserpat, et abscessum in dissito ab erysipelate loco provocet.

Abscessibus integumenta communia cranii, femoris, cruris truncique a musculis solvi observata sunt. Musculi ipsi, consumo textu omni celluloso, nitidius quam ipso dexteri anatomi cultro praeparantur. Cutis ipsa abscessibus superiecta livida aut praerubra flaccida est et vasorum maiusculorum tenuis cum musculis nectitur.

Febris nunquam fere remittens sensim septicum induit characterem, et malorum scenam mors utplurimum serius ocyus claudit.

Haec quoque morbi forma sine dyscrasia scabida fere nunquam non reperitur.

Casus.

1. Memorabile morbi exemplar visum est in auriga N. N. 31 annorum. Hic hyeme anni 1833 in nosocomium filiale inflammatione erysipelacea totum illius truncum occupante et abscessu iam a clavicula dextri lateris usque tertiam costam extenso, pendulo, magnitudine volae manus, nec non febri valida illatus est. Facta altero die mane in infimo abscessus margine oncotomia sanies omnis evacuata videbatur. Eodem die tota cutis abscessum tegens, quae mane sana deprehensa est, sphacelo soluta fuit, et infra mammam dextram et axillam sinistram novi abscessus formati sunt; his quoque die tertio apertis detectum est tex-tum cellulosum subcutaneum a primo inde abscessu usque duos reliquos in lacinias puriformes conversum esse; etenim immisso forcipe recto illarum magna quantitas extracta est, et musculi pectoralis per resolutam sphacelo cutim pars patens nitide, quasi anatomice, praeparata videbatur. Quarto die abscessus quartus in sinistro umbilici latere formatus est, nec non duo puncta in dorso infra scapulam sinistram visa sunt, quae quinto die in abscessus novos abi-erunt et sphacelo mediante aperti sunt. Eodem die ultimi abscessus oncotomia ad annulum inguinalem sinistri lateris instituta suit. In hoc casu morte terminato omnis textus cellulosus subcutaneus incipiendo a clavicula sinistra, de-scendendo in eodem latere usque umbilicum ac transversim ad annulum inguinalem alterius lateris, hinc procedendo penes cristam ossis ilei transversim ad columnam vertebral-lem, penes hanc adscendendo ad regionem axillae sinistrae suppuratione consumtus est, ita quidem, ut vasa solum sanguifera per eum ad cutim transeuntia integra manserint. Cutis ipsius epidermis sicca aridaque tangebatur; corium rubro-lividum transparuit.

2. N. N. femina quinquagenaria, quondam ulceribus pedum herpeticis affecta erysipelate herpetico-scabido cruris

dextri, quod abscessus in ulcera abiens comitatus est, correpta fuit. Ulcerum maximum super patellam situm tribus aliis, in lateribus genu positis, cinctum erat; cutis circa haec ulcera a partibus subiacentibus late soluta et praerubra cernebatur. Errore in diaeta commisso febris biliosogastrica valida et erysipelas novum totius femoris ac tibiae cum tumore ingenti accessit. Post emeticum aegrae propinatum debilitas nimia febrisque nervosa comparuerunt. Mitigata febri circa malleolos, in dorso pedis et ad radicem digitorum abscessus post invicem efformati sunt, citoque cutis illos tegens sphacelo consumta est. Febris iamiam sopita novitus recrudescens mortem adulit.

3. N. N. femina 47 annorum in infantia tinea capitis, aetate vero adulta eius doloribus et iisdem artuum rheumaticis, nec non febribus intermittentibus laboravit. Anno proxime praeterlapso in dextro colli latere abscessu glandulae lymphaticae enato dolores conticuerunt. Suppuratione colli adhuc durante in regione costae tertiae lateris sinistri prope ad os sterni novus abscessus exortus est, illiusque sanationem herpes erysipelaceus centrifugus faciei, thoraci brachiique dextri cum abscessibus infra oculum sinistrum, in sterno ac antibrachio dextro sequebatur. Hic casus sanatione est terminatus.

4. N. N. puella 18 annorum, nullius praeter morbillos meminit morbi infantiae perpessi. Aetatis anno 16. catameniis primis correpta est, quibus ternis viciis copiose comparentibus quarta vice fluor albus vicarius successit. Fluore albo mensibus duobus vigente in cruris sinistri exteriori latere rubor, ac in eius medio vesicula flava successive in ulcerus abiens comparuit. Hoc ulcerus semper amplius evadens post semialterum mensem cum pruritu genitalium nimio ulcerus herpeticum interioris faciei nymphae dextrae comitabatur. Aegra, postquam eius ulcera utriusque loci diversis remediis restitissent, elapsis annis duo-

bus nosocomium filiale ingressa est. Ulcus, quod in pede gessit, characterem herpetico-scabidum obtulit; ulcus nymphae dextrae iam cicatrisatum repertum est, verum aliud in nymphae sinistrae latere interno a commissura labiorum inferiori usque clitoridem protensum, praecipueque ad vaginae introitum limitatum rubrum, hinc inde lardaceum ac profundum visebatur. Sub usu calomelanos, quod ob suspectam ulceris de syphilide naturam exhibitum est, ulcus genitalium charactere suspecto orbari, illud vero cruris exsiccati cooperunt. Huic emendationi post errorem diaetae febris vehemens cum erysipelate cruris ac femoris sinistri successit. Erysipelate resoluto in radice femoris prope genitalia abscessus enatus est, in facie vero interna femoris vasa lymphatica intumuerunt. Abscessu sanato novum erysipelas, nunc centrifugum comparuit, cuius resolutionem plagae plures rubrae cum subiacente tumore circumscripto in femore ac genu in abscessum nitente comitabantur; ex his tamen unicus in interno latere genu in abscessum mutatus est, reliqui vero retento rubore erysipelaceo resoluti sunt. Verum in eadem plaga, quam erysipelas tenebat, successive pustulae prorupere confluentes, quibus crustis tectis herpes pustulifer centrifugus in conspectum venit, simili modo plaga abscessus ad radicem femoris siti in herpetem crustaceum mutata est.

Hic casus unius herpetis formae in alium transitum pulcherrime ob oculos sistens delineatus est.

5. Puella (aspectu evolutionis corporis) 12 annorum, hebes, in miserrimo statu ad nosocomium filiale delata est. Haec nullius temporis praeter aestatem praeteritam memor anamnestica morbi sui speciosi momenta profari nequivit; quum tamen cicatrices latiores herpetis ulcerosi perpessi in brachio ac scapula sinistra, antibrachio ac femore utroque atque genu dextri latere interiori gesserit: manifestum fuit illam herpete ulceroso, et quidem cicatricum hic splenden-

tium albarum, ibi adhuc rubentium ratione habita, ante plures (6—8) menses ac proxime fuisse affectam. Suscep ta fuit febri colliquativa diarrhoica, tussi purulenta, exostosibus ossium longorum antibrachiorum ac crurum ingentibus, plagis herpeticis, ulceribus cruris dextri sinuosis herpetico-scabidis ac abscessibus tarsi et metatarsi pedis. Exostoses in brachio et antibrachio sinistro, crureque eiusdem lateris maxime conspicuae haec membra ita vitiarunt, ut antibrachium nominatum directione suo segmentum circuli maioris exhiberet, crus vero eiusdem lateris a genu inde rectum mox in arcum in medio dehiscentem attolleretur et ad ossa tarsi repente declinaret. Hoc malum cum doloribus summis eodem tempore cum erysipelate cruris dextri enatum fuit. Erysipelas praeteritum laciniae epidermidis cruris ac pedis cuti adhuc adhaerentes, nec non abscessus super tendinem Achillis, circa malleolos ac in metatarsi dorso indigitarunt. Ulcera duo magna, oblonga, marginibus laceris provisa circa circum sinubus in omnem directionem vergentibus cincta visui patebant. In apice nasi, in metacarpo ac digitis manus sinistrae herpes papulosus squamatus vigebat. Febris colliquativa erysipelatis comes vitae mox finem posuit.

XXIII.

Herpes carcinomaticus.

Characteres. Plagae affectae figura herpetem, habitus vero carcinoma arguit.

Tribus sub formis obvius esse solet.

A. Herpes carcinomaticus glandulosus.

Impedit corporis partem glandulis parvis aut cryptis mucosis vel sebaceis plurimis refertam, ut labia oris, alas nasi, glandem penis etc. Refert vero primo obtutu vel erosionem superficialem vel herpetem ulcerosum scabidum;

verum fundo eius attentius investigato in eodem conspi-
ciuntur noduli prominentes, durissimi, plurimi, qui parte
sua aëri exposita crūsta nimium compacta in lobos pluri-
mos fissa, fundo suo fortiter adhaerente teguntur; ubi vero,
ut in specie in cavo oris, exposita non sunt, aut saliva
vel muco madent, nudi deprehenduntur. Tota huius pla-
gae extensio insigniter dura, imo durities ultra quoque in
partibus aspectu sanis notabilis. Nec tumor desideratur.
Dolor illi carcinomatico similis, per vices infestans. Co-
lor iam livescens, iam minius, creberrime manifesto notae
scabidae indicio cinnabarinus.

B. Herpes carcinomaticus fungosus.

In ulcere herpetico complicato vel vulnere post ope-
rationem carcinomatis cicatrisationi proximo evolvi solet.
Ulcus scilicet vel vulnus tale maximam iam partem con-
solidatum ultro sanari desinit, margines illius indurescunt,
fundi color in pallidiorem aut saturatiorem mutatur, puris-
que loco tenuem secernit ichorem; mox repente margines
illius sphacelascunt, callosi, sinuosi fiunt; simul ex fundo
caro exsurgit luxurians fungi tuberosi instar, coloris aut
lividi, aut cinnabarini, et in altitudinem $1\frac{1}{2}$ pollicis excre-
scit, dilataturque ita, ut marginibus callosis ulceris coēr-
ceri vix possit. In hoc statu ambitus ulceris fit lividus,
intumescit. Aspectum ulceris foedum eius foetor auget.
Dolores speciales carcinomatici saeviunt.

Fungi superficies iam est laxa, mollis, facile sanguine manans, iam stricta, duriuscula, non facile sanguinem mittens; basis constanter dura reperitur. Postquam indeterminato tempore aegrum terruisset, in casibus fausti-
oribus in sphacelum abit, et naturae opera vel artis ad-
miniculo in basi sua seiungitur et abscedit. Tum margi-
nes ulceris laetiorem induunt habitum, fundus eius carun-
culis bonae indolis tegitur et cicatrissatio repetitur. In ca-

sibus sinistris increscens malum sphacelus late extensus, hydrops diarrhoeaque colliquativa tristi sequuntur exitu.

C. Herpes carcinomaticus phagedaenicus.

Priori longe rarer. Hucusque a me in ulceribus tantum antiquis crurum evolvi observatus est. Ulcus eiusmodi fere perpendiculariter in profundum penetrat, unde margines offert abruptos, praecipites, callosos. Fundum ulceris talis constanter sphacelus tegit omnes partes molles subiacentes usque ossa consumens. Ubi destructio ossa attigit, dilatari incipit, serpitque constanter sursum versus celerius quam in latum, eodem momento musculos cutimque sed lentissime depascens. Ubi margo ulceris, quod hic et illic dietim conspicitur, depurari videtur, ibi superficiem nodulis carneis confertis, duris tectam exhibit. Dolores acerrimi diu noctuque praesentes, febris continua massaeque organicae perditio alacris aegri vires consumunt, vitaeque interitum accelerant.

XXIV.

Distinctionem formarum herpetis, quales papulosam, nodulatam, vesiculatam, pustuliferam ac ulcerosam in praecedentibus enumeravimus, vel inde pauci esse momenti manifestum est, quod in eodem individuo, tempore iam eodem iam diverso, ut ex adiectis inferius duobus casibus patet, aliae atque aliae obviae sint.

Eo momentosior est dyscrasiarum ipsarum (et hinc pendens complicationis) distinctio; hae enim peculiarem suum characterem immutabilem cuicunque formae constanter imprimunt, nec conformatio cutis individuali, aut secreti morbidi vi ac copia reguntur.

Casus. N. N. femina annorum 28, in adolescentia exanthemate cutis chronicō ignoto, in iuventute febribus intermittentibus hydropeque fuit vexata. Ulcera pedum

chronica anno aetatis 22. erumpentia diutius gessit, donec his opera vetularum plurium sanatis in hydropem incidit, hoc liberata denuo pedibus laboravit. Ulcera pedum unguentum a medico praecriptum sanavit quidem, ast abdomen totum herpes, iuxta descriptionem aegrae, miliaris occupavit. Eiusdem medici consilio pruritus leniendi, exanthematisque exsiccandi ergo solutione lithargyri malo suo consuluit, effectu tam sinistro, ut brevi in hydropem universalem febrilem inciderit. Hoc malo in nosocomium filiale advecta, sub usu tartari emetici dosi refracta in decocto emolliente propinati in vultu, facie brachiorum anti-brachiorumque exteriori, in carpis manuum surisque pedum vesiculas ac bullas confertas coloris cinnabarini cum hydropis, praesertim hydrothoracis imminutione obtulit. E bullis in crure utroque ulcera enata sunt. Refrigerio admisso bullae repente exsiccati, hydrothorax augeri coeperrunt, quo denuo remittente in nominatis membris vesiculae, instar pisi, segregatae; in mammis, abdomine, humeris femoribus vero herpes vesiculatus multum extensus; in dorso denique furfuraceus visus est.

2. N. N. femina torosa annorum 29. primam infantiā, exceptis morbis huic aetati propriis, sana transegit. Anno aetatis 9. galeae capitis exulceratione usque annum 11. durante nec non tumore glandularum colli fuit adfecta. Anno aetatis 19. in poplite pedis dextri tumor circumscriptus enatus est, qui successive in abscessum, vesicante superposito apertum transiit. Ulcus hac ratione enatum, quamvis plurima in id externe adhiberentur, sanari nequit, verum in cuti deorsum ac sursum versus ultro serpsit. Praesertim sub usu balneorum circa annum septimum mali adhibitorum ulcus dilatatum fuit, imo totum crus erysipelas comprehendit; quo pluribus mensibus durante et fomentis siccis herbarum aromaticarum a vetula propositarum pulso, ulcera remanserunt. Dum morbus iam in

nonum excurreret annum et methodus per alvum evacuans Leroy tentata est, ast sine fructu. Tum hirudines quoque circa ulcus appositae sunt, adeo sinistro effectu, ut omnes earum morsus in ulcera abirent, imo sub specie febriculae in surae sinistrae facie exteriori herpes vesiculatus centrifugus falciformis prorumperet. Ulcere pedis coloris cinnabarini ope Anthrakokali et sulphuris in cicatrisationem deducto, in illius ambitu longe lateque epidermis fissuris subtilibus permeata est; in his fissuris apprens corium adhuc colore herpetis scabidi tinctum visum est. Fissuris consolidatis mox omnis plaga herpetica crustis squamiformibus tecta suit. Crustarum loco denique squamulae furfuraceae in conspectum venerunt.

XXV.

Decursus herpetis legitimi.

Herpes systema cutaneum externum occupans, inde aut mox disparat, aut ibidem constanter perseverat, aut disparens certis temporibus reddit.

In primo casu remittente cutis tensione, pruritu aut ardore rubor quoque pallori cedit, et liquidum inter corium ac epidermidem effusum resorbetur; vel arescens una cum epidermide in squamulas non regenerandas fissa, solvit, nec non affecta cutis plaga colore texturaque reliquae similis redditur. Si recessus hic herpetis pedetentim contingat, materia eius vel conspicue alia adgreditur organa, morbiique chronicci fundamentum ponit, ut saepissime blennorrhagiae vaginalis, phthiseos trachealis et pulmonalis, indurationis hepatis, ventriculi dyspepsiae, diarrhoeae repentinae, obstinacis, enteritidis erysipelaceae etc.; vel breviori aut longiori tempore innocua latet, donec in certum cute vel partibus aliis comprehensis, erumpat morbus. Si vero recessus repentinus sit, tum in organon aliquod ma-

gna plerumque vchementia irruit, vitaeque discrimen facile inducit.

In casu altero extensionem sub ortu nactam aut vix auget, vel lente tantum maiorem ac maiorem adipiscitur; aut repente magnam integumentorum communium partem obruit; et pro diversitate structurae cutis ac hinc dependente morbi forma, pro diversitate membra, quod occupat, durationeque morbi, incommodis periculisque variis stipari observatur. Scilicet, animum de adversa valetudine continuo sollicitum cutis erga atmosphaerae mutationes sensibilitate, pruritu nimio, diurnitateque offendit; aspectu foedo, si vultum inficiat, quem in nonnullis casibus una cum organis sensuum destruit —; susurru aut tinnitu aurium, nec non auditus periculo, si meatum auditorium ingrediatur, terret; membrorum motum ob excoriations aut ulcera vel ob horum cicatrices duras remanentes obque phlogosim, praesertim erysipelaceam, crebro maioris gradus impedit; organismo ob deperditam maiorem humorum copiam, integrati eius in oeconomia vitae necessariam, maciem adfert; vasa sanguifera cutis duratione longiori extendit, unde facile varicum generationi ansam praebet; affluxu humorum continuo, sustentataque cutis inflammatione eius in durationi, callositati, nec non hydatidibus generandis favet. Glandulae lymphaticae liquido morboso excrementatio in humorum circulum deducto renitentes intumescunt. Ulcera partes subiectas, ne ossibus quidem exceptis, depascentia sensim malignam adipiscuntur naturam. His omnibus febris accedit consecutiva, quae quamvis sub initium naturae medicatrixis effectus reputanda est, serius in lentam, depascentem, turbata intestinorum functione terrentem, degenerat. Scenam malorum praeviis breviori aut longiori tempore diarrhoea colliquativa, hydrope vel scorbuto denique organismi claudit resolutio.

In casu tertio vel singula vice comparitionis morbus

se ipsum evacuato secreto morboso maioris quantitatis exhaerit, et viribus collectis renascitur, vel intercurrentibus temporibus vita cutis exaltata morbus quoque herpeticus ad hanc desertur, et illius vita infracta, sub anomala forma alia impetit organa et vi sua secretionibus vicariis infringitur.

XXVI.

Herpes anomalus.

Dum herpes formis nunc descriptis conformis non est, aliaque praeter cutim externam occupat organa, seriem symptomatum morbidorum eius producit indolis, quae a symptomatibus ipsis cutaneis et ab illis morborum, quae ex organismi lege universim profluunt, aliena observatur.

Universim evanidus e cuti herpes omnibus illis stipatur malis, quae sive suppressa illius perspiratione, sive morbis aliis cutaneis retrorpulsis enasci solent.

Generatim fovet hoc malum in foco suo inflammationem specificam cuiuscunque organi comprehensi, quae nisu in secretiones ac formationes novas morbosas insignitur.

Speciatim in systematibus organismi diversis morbos creat chronicos; sic in systemate vasorum haematophororum varicibus —, in illo lymphaticorum scrophulis —, in eo nervorum neurosibus diversis —, in illo ossium membranarumque serosarum rheumaticis affectionibus liquidique morboi accumulationi et s. p. ansam praebet.

In expositione formarum anomalarum herpetis eiusque complicationum ordinem, quem hucusque secuti sumus relinquentes, iuxta systemata, quae plurimum comprehendi solent, procedemus.

XXVII.

In systematis cutanei appendicibus: unguibus, dentibus nec non in capillis focum morbus nonnunquam eligit suum.

Sedes vero morbi in his partibus herpeti scabido et syphilitico aut his inter se unitis propria est.

Superficies unguium fit inaequalis, plerumque transverse undata; ungues transparentes opaci, albi aut flavi vel brunei nigrique fiunt, in lamellas latas iuxta longitudinem diffinduntur, inter quas liquidum effusum in massam plurimum flavam, nonnunquam nigram, duram, fragilem coagulatur.

Hic unguium habitus saepe iam tenera aetate, nonnunquam ingruente mutatione corporis sexuali evolvitur et vel eodem tenore constanter per annos plures usque aetatem virilem ac senilem perseverat, vel vero sensim disperat et tum ungues initio squallidi compacti fiunt, serius subdiaphani sed undulati, laevigati, denique plani evadunt.

Penes unguem hallucis in uno aut alio latere liquidum odoris peculiaris illi, qui in herpete interdigitali pedum (XV. 1.) observatur congruum, initio parcum secernitur. Est vero illud acre, cutim ungui adiacentem irritans; unde fit, ut successu temporis cutis ab illa solvatur et caro luxurians penes illam enascatur. Si carnis huius ulterior evolutio causticis praepediatur, hic status morbosus in hoc loco supprimitur, verum consuetim in alterius pedis halluce evolvitur; vel comparente glandularum lymphaticarum tumore (colli, inferioris ordinis inguinalium etc.) aut herpete genuino dissipatur. Unguis ipsa, nisi arte, malo hoc non destruitur, verum ad exiguam distantiam lateraliter a subiacente strato solvitur.

XXVIII.

In dentium encausto praeprimis ad limitem gingivarum initio comparent maculae splendore orbatae, quae successive flavescent encaustoque orbantur et dentium substantia ossea simul prehensa nigrescunt. In hac substantia herpes tandem ultiro serpit, eamque encausto adhuc maximam partem intacto consumit. Talem dentis ruinam raro involucrum radicis eius evitat, imo hoc inflammatur, intumescit et dentem ex alveolo cum sensu prolongationis illius exprimit.

XXIX.

Capillos herpes complicatus, excepta ea Sarmatarum, alterius gentis raro comprehendit. Comparet in nostra terra praegressis capitis doloribus saepe immanibus cum sudore nimio viscido, odoris peculiaris mucidi, quo silentе capilli saepissime intra noctem instar coactilis conglutinati reperiuntur. His tum consuetim abscissis, ulteriori morbi in hac parte evolutioni observandae occasio praescinditur, ast eo amplior aperitur campus morbum aut in ipsa cuti, aut in systemate membranarum serosarum, in intestinis, aut in oculo perscrutandi.

Sic in puella annorum 19 blennorrhœa chronica profusa laborante et hac adstringentibus male tractata post febrim gastrici characteris et capitis dolores nimios noctu sudor viscidus profusus comparuit, mane vero eius capilli coacti reperti sunt. Capillis abscissis sub motibus febribus exasperatis herpes syphilitico-leprosus in toto corpore enatus est.

Sic adolescens 17 annorum, suum custos, praegressis capitis doloribus diurnis, denique plica capillorum adfictus fuit, qua abscissa diutius genu dextri doloribus, gonoarthrocace terminatis, vexatus est.

XXX.

Non raro observatur herpes etiam in membrana mucosa cavi oris, faecum, ventriculi et intestini recti.

Has partes herpes syphiliticus cancrus et blennorrhoeicus, nonnunquam scabiei iunctus comprehendit.

In gingivis praegressis doloribus rheumaticis prototypat deuteropathicis enascitur tumor inflammatorius, et quidem in maxilla inferiori consuetim super plures molares, in superiori vero super unum aut alterum dentem extensus, qui die plerumque quinto suppuratione terminatur et apertus liquidum sanguinolentum effundit. Liquido hoc evacuato tumor dehiscit, sed remanet sinus, qui in maxilla inferiori penes radicem plurium dentium retrorsum aut anterius sursum versus protenditur, ad pressionem dolet, secus sensum pruritus aut titillationis excitat, per integrum suum tractum pus albo-flavicans parat, quod per aperturam consuetim in margine alveolorum osseorum membranam gingivae mucosam penetrantem excernit. Circa hanc aperturam membrana mucosa a reliqua gingiva soluta et instar globi elevata, mollis intenseque rubra est, nec non margine quasi labiato praedita, compressa pus contentum exonerando dehiscit. Haec gingivarum affectio *fistula dentis dicta* duratione diuturna est, et dentis solum iactura aboleri solet.

XXXI.

In naribus herpes initio observationi medicae fere nonnunquam est obvius; ille enim cum consuetis coryzae symptomatis, aut vero exiguis pustulis ad introitum narium inter vibrissas sitis, utpote signis quae ab aegris vilipenduntur, exoritur. Ast diuturnitas morbi denique occasionem observandi adfert. Initio maior adest pruritus, qui cum

tempore remittit, et loco eius dolor exiguus, pressione alarum nasi eliciendus animadvertisit. Alae nasi parumper rubicundae, splendentes esse solent. Morbo diuturno facto alas nasi inflammatio specifica tumore notabili desquamationeque cutis continua stipata corripit. — Secretum narium variat; iam est instar seri liquidum, iam instar puris spissum. Saepe aëre nisu maiori per nares transacto crusta maior vel minor secedit, cuius recessum sensibilitas plague illius, cui illa adhaesit, aut aliquot sanguinis guttae promanantes notant.

Diducta nasi ala inter vibrissas ulcuscula diversae extensionis margine suppurante lacero, fundo vero coloris cinnabarini praedita visui patent; in ambitu vero membrana mucosa aut iusto albior, stricta (cicatrix), aut rubrior simulque tumida, quasi inflata observatur. Ambitus alarum nasi saepe herpes furfuraceus occupat.

Morbo diutius durante pars cartilaginea nasi rubet ac intumescit et in rarioribus casibus ulceribus obsidetur, non nunquam vero etiam consumitur. Eadem sors et vomeri palatoque cadit.

Hoc malum fomentis adstringentibus tentatum nares nonnunquam derelinquit et fauces vel coniunctivam palpebrarum etc. comprehendit.

Casus. N. N. femina annorum 20, patre herpetico nata morbos exanthematicos facile quidem superavit, ast post morbillos anno aetatis 15^{to} perppersos a coryza nunquam liberari potuit. Nupta ob halitum narium foetidum ac muci spissi purulenti secretionem opem expetiit. Haec incommoda tussi diuturniori aut herpeti furfuraceo circa nares et os comparentibus subinde cessisse, et his evanidis redivisse affirmabat aegra. Hoc assertum serius et observatio comprobavit; etenim successive ulcuscula et narium et faucium (inferius describenda) visa sunt. Halitus narium foetidi sub graviditate in acidum acrem, tandem am-

moniacalem et obiective percipiendum mutationem in hoc casu memoratu dignam esse opinor.

XXXII.

Dum in membrana faucium mucosa malum residet, semper syphilidi blennorrhicoae aut cancrosae iunctum est. In priori casu illa rubore plerumque levi rarius intenso, qui tonsillas, velum pendulum palati ac introitum pharyngis laryngisque comprehendit, perfusa est. — Ulcuscula parva initio rotundata, fundo albicante vel lardaceo, margine tumidiusculo aut plano non elevato, molli, non duro callosoque (prout syphilitica癌crosa) praedita, aphthis simillima, serius diversae sed oblongae figurae, consueta sunt signa.

Ulcuscula haec sensim maiora frunt, et raro in latum, saepissime in longum producuntur; quin deglutitionem impedianc siccitate faucium, raucedine —; si tubam Eustachii ingrediantur, sollicitatione continua obstaculum quoddam removendi, exscreandi infestant. Secretio muci normalis consuetim impedita est; qui mucus adest, spissus, ductilis, albus esse solet. Hac qualitate tenus nisum deglutiendo continuum excitat. Duratio diurna, sine detimento partium notabili, morbo huic convenit.

Siccitas splendorque membranae mucosae faucium sine ulceribus nonnunquam, quamvis rarissime obvia sunt.

Unicus tantum casus a nobis observatus est puellae 18 annorum a patre herpete syphilitico blennorrhico-scabido fistulaque urinaria laborante natae, in cuius faucibus crustae flavo-virescentes visae ac forcipe extractae sunt.

Casus. N. N., femina annorum 34, ab infantia ulceribus partis capillatae capitis fuit affecta. Nupta et duarum prolium mater hoc malo liberari volens inunctione hydrargyri cinerei unguenti scopo potita est. Ast immediate

glandularum colli et inframaxillarium nec non tonsillarum tumore, imo raucedine, deglutitione difficulti, faucium siccitate ventriculique statu inferius describendo correpta est. In hac aegra ulcuscula retro velum pendulum palati nulla, ast siccitas, tensio cum splendore membranae mucosae, solo oleo olivarum puro lenienda apparuere. Sub usu remediiorum sulphuricorum mox siccitatem disparentem fluor albus vaginae exceptit. Adhibito vero serius Anthrakokali simplici iam post lapsum dierum 16 cum pruritu summo herpes scabido-syphiliticus pustulifer in toto erupit corpore.

N. N. viri annorum 47 ulcera faucium herpetica sine ullis remediis brevi tempore disparuerunt, et in interna praeputii pagina in conspectum venerunt.

Ulcera herpetica syphilitico-cancrosa faucium ab ulceribus syphiliticis cancrosis saltem pertinacia, qua sana-
tioni ope mercurii solius resistunt, et ambitu suo latius rubro, pluribusque praesentibus ulcusculis differunt. Haec partes comprehensas brevi tempore consumhere satagunt.

XXXIII.

In membrana mucosa intestini recti ulcuscula, quae visuntur, harum partium pruritus ingens secrezione muci spissi solvendus (proctorrhoea) praecedere solet.

Ulcerum origo dyscrasica, eorumque habitus eidem faucium simillimus est.

Casus. N. N., femina annorum 30, cum ulceribus pustulisque totum corpus facie excepta obsidéntibus, nec non prolapsu intestini recti, proctorrhoea continua cum tenesmo ac dysuria in nosocomium filiale suscepta est. Intestinum rectum circa orificium suum nodos duros magnitudine nucis avellanae et iuglandis numero septem, lividos, tactu multum dolentes, muco glutinoso, albuminoso foetente ma-

didos obtulit. Membrana intestini recti quoisque sub tenesmo propulsa fuit (longitudine 2'') tota multum rubra, spongiosa, ulcusculis diversae figurae, angulatis, rotundatis, fundo violaceo circumferentia mollibus, haud profundis, facile sanguine manantibus inspersa videbatur.

Huic malo nostra suspitione et confessione aegrae probata ex iniuria mechanica, infami scilicet sodomiae criminis ortum ducenti interne et externe per mensis spatium remedia mucilaginosa haud conspicuo levamine opposuimus. Idcirco mucilaginosa cum usu externo solutionis sulphatis zinci et laudani liquidi Sydenhami commutavimus. Vix aliquot diebus epithema hoc administratum est, iam vultus aegrae sinister tumore erysipelaceo corripi videbatur; sub cataplasmatibus emollientibus inflammatio ex hoc vultu disparuit, et vultum dextrum cum palpebra utraque comprehendit. Inflammatione hac sub calore sicco administrato decrescente vesiculae plurimae aggregatae magnitudine lentis in eodem vultu visebantur et similes in fronte, circa os, nares, in mento ac auriculis plagas herpeticas formantes enatae sunt, ultroque serpendo characterem herpetis genuinum obtulerunt. Similes plague herpeticae et mammis, nates, femora, furunculis plurimis interiectis occuparunt.

XXXIV.

In membrana mucosa labiorum vulvae herpes surfuraceus cum siccitate prurituque rarius —, ulcerosus cum devastatione partium cutanearum introitum vaginae cingentiū saepius comparet.

Ulceræ hoc loco enata nunquam simplicis herpetis gaudent charactere, imo praeter eum syphilidis utriusque etiam illum scabiei plerumque arguunt.

Ulceræ tum multum profunda non sunt, solum in membrana mucosa ultro serpent, fundo carmineo aut coccineo,

hinc inde albescente, margine vero duro, calloso praedita insigniter pruriunt.

Sedes horum ulcerum consueta, quamvis et in perinæum et in labia maiora proserpent, facies interior nympharum introitusque vaginae est. Diducta morbo taliter longiori tempore affecta vulva antrum quasi visui patet; etenim partes omnes ab hymene residuae consumtae deprehenduntur, unde desunt inter nymphas et vaginalam ex utroque latere membranae mucosae tumidiusculae, in superficie nympharum invicem contigua margines elevati ulcerum conspicui sunt, perinaei raphe induratum et sanie continuo stillante madidum reperitur.

Ulcera haec saepe in menses, imo annum unum aut alterum excurrentia consuetim blennorrhœa vaginali stiptata sunt.

XXXV.

In membrana mucosa vaginae dyscrasia herpetica complicata rarissime alia sub forma quam blennorrhœae chronicae observatur, quem huius causam esse probant argumenta sequentia:

1. Quod si blennorrhœa chronica injectionibus adstringentibus repentinus iusto suppressatur, circa genitalia et in cuti reliqua saepissime herpes complicatus, qui fluxu muci morbidi restituto evanescit, enascitur.

2. Blennorrhœa chronica viris et feminis illis est propria, quibus dyscrasia herpetica manifesta inest.

3. Eius remedium praestantissimum illud est, quod dyscrasiae in genere herpeticae cum scabie et syphilide complicatae esse potest.

Casus. N. N., puella annorum 26, ab anno aetatis 7^{mo} usque praesens tempus blennorrhœa vaginae affecta in prima iuventute febri typhosa petechiali laboravit, qua dicta herpes pustulifer in cruribus erupit, cicatricesque huc-

dum conspicuas bruneas reliquit. Anno aetatis 22^{do} post coitum ulcera nympharum adquisivit; haec ab hoc tempore praesentia curae medicae binis vicibus sat diu protractae renitentia intra quatuor annorum spatium vaginae introitum, nymphas labiorumque maiorum inferiorem portionem peragrarunt, cicatricibusque obduxerunt. Anno aetatis 25^{to} herpes nodulatus conglomeratus nasum integrum et portionem genae sinistram, nec non supercilia obsedit serpendo-que in oculum sinistrum eius chemosi ansa fuit. Sub cura ob neglectam diaetam in isthmitidem incidit aegra, tumque impositorum collo hirudinum morsus in ulcera manifeste herpetica abierunt. Isthmitide liberata in invasit hydrops universalis repente graviter evolutus; sub hoc, praeter quod membra omnia et abdomen aquis nimis extensa fuerint, difficile et in situ solum sedentario possibile respirium maxime timendum erat signum. Hoc tamen intra 14 dies una cum reliquis hydropis symptomatibus disparuit, herpes vero serius sanationem admisit.

2. N. N., puella annorum 16, e suppressa blennorrhoea vaginali ophthalmoblenorrhoea correpta, et eadem iam neglecta in nosocomium filiale suscepta est. Sub cura antiphlogistica oculi malum, redeunte blennorrhoea vaginali summe profusa, remisit quidem, ast ingruente qualibet atmosphaerae mutatione denuo exasperatum est. Quum sub methodo antiphlogistica ultiro continuata cornea in staphyloma attolli minaretur, remedium contra latentem dyscrasiam vitae vegetativae in genere, quam exasperatio morbi ingruente atmosphaerae mutatione contingens indigitabat, ordinavimus. Sub usu sulphuricorum cornea complanari coepit et simul cum blennorrhoeae decremento in gena utraque herpes scabidus pustulifer prorupit. Visus, eruptione absoluta ita, fuit emendatus, ut aegra obiecta etiam minora videre potuerit. Sulphuricis ultiro adhibitis plagae herpeticae sensim exsiccatae sunt. In statu taliter emendato

blennorrhoeae, quae modica superstes erat, sublatio restare videbatur, itaque in eam injectiones adstringentes in vaginam ordinatae sunt. Vix uno altero ve die hoc remedium topicum tentatum est, iam inflammatio oculi sinistri cum turgore corneae iridisque staphylomatoso et proruptione herpetis in gena sinistra ab illo desistendum suasit. Cura nunc topice in oculum et in herpetem scabidum universum directa staphyloma fere disparuit, ast post mensis spatium, quamvis priore minori in gradu reversum est, nec tandem quidquam, quamvis scabies secundaria per universum corpus, praesertim inter digitos manus propullulasset, ab hoc tempore mutatum fuit. Sanato herpete demum scabido et blennorrhoea disparuit.

XXXVI.

Herpes ad membranam mucosam ventriculi conversus scabiei iunctus est, peculiarique praebet ansam statui morboso, qui huius organi sensibilitate maiori; erga cibos, quorum quantitatem consuetam sine appetitu recipit, indifferentia; sub digestione sensu tensionis; in ructus, quorum unum aut alium difficulter elisum alleviamen momentaneum solum, mox denuo tensio, sensusque plenitudinis sequitur — nisu continuo; saporis oris hallucinatione; remediorum calefacientium (spirituosorum, aromaticorum), quae levamen transitorium adferunt anhelatione; post aquae gelidae potum, geliditatis eius sensu in ventriculo tempore aliquo permanente — fit manifestus. Huius ventriculi status, animus morosus, mane salivae spissae spumosae in ore collectio, vespere motus febriles lenes socii sunt. Morbum diutius vigentem hypochondriasis, denique varicosus venarum ventriculi status, exsudatioque materiae bruneae, sedimento coffeae similis in cavum ventriculi et per vomitum reiectio sequitur. Saepius haec affectio furunculis aut diarrhoea diurna comparentibus solvitur.

Omnes hoc ventriculi malo affecti a nobis examinati aegri quondam scabie incongrue tractata laboraverunt.

XXXVII.

Herpes scabidus, rarius simul syphilidi iunctus e systemate vasorum sanguiferorum venas systematis cutanei tam externi, quam interni adgredi solet. Herpetem scabidum varicosum, qui omnem cutis textum e vasis minimis compositum immutat superius (XV. D.) dedimus; hic eam illius formam exponimus, in qua venae singulae absque reliquae cutis immutatione ampliatae cernuntur.

Dum herpes scabidus in venis sedem figit suam vel venas ipsius cutis discretas, vel subcutaneas maiores adficit.

In casu priori illae dispersae aut copiosae ac invicem intertextae crassitie fila tenuia non excedentes, coloris coerulei aut praerubri, per maiorem plagam distributae aut ad parvam restrictae visuntur. His successu temporis evanescentibus aut perdurantibus venae maiores vicinae in consensum ductae hinc inde volumine ampliatae coarctataeque apparent, et vel plures earum rami in cumulum coacervantur, vel solitarii in gyros multiplices aguntur.

In casu posteriori venae subcutaneae sensim solum dilatantur et vel singulae per integrum suum cursum per vices ampliatae et coarctatae, quasi haustris instructae sunt, vel plures invicem contortae rete varicosum fingunt. Longiori mali huius duratione circa venas dilatatas tactui molliissimas textus cellulosus illis vicinissimus sensim condensatur, induratur; unde digito prementi nodos et chordas diversae exhibet magnitudinis longitudinisque. Successu temporis nonnullae venae obstructae, praesertim illae luminis minoris pastaceae, — durae fiunt, et ubi ossibus adiacent, haec instar rivuli excavant.

Evolvuntur vero varices in viris et feminis praesertim in extremitatibus inferioribus, in femorum facie interiori, poplite, cruribus, circa malleolos, in dorso pedis post evanidum repente e cuti herpetem, vel morbum herpetis vicarium, crebras urticariae invasiones, dolorumque rheumaticorum durationem longiorem.

Dolorem rheumaticum in specie infra malleolum interioris lateris alterutrius pedum, inter hunc et ossium metatarsi initium usque ad medium plantae protensum, qui facile omnibus antirheumaticis et laudatissimis renititur, herpete demum varicoso terminari crebro observavimus. Hic dolor vehementiam maiorem (sensu punctorio ad contactum vel motum pedis notatus) rarissime adipiscitur, nocturna saevitia plurimum caret, post ambulationem, aut occerto pedis motu validior punctarius, continuato autem obtusus in quiete remittit, sed nunquam evanescit. Si in hac parte nullus animadvertisatur, eius vices tum dolores saevientes metastatici artuum (genu, cubiti, articulorum digitorum), capitis aut partium aliarum obire solent, quibus silentibus pristinus revertitur. Qui demum tumore moderato partis affectae inducto varices initio ad regionem inter malleolum et plantam sitam restrictas, serius ad dorsum pedis cruraque extendendas procreat. Huic affectioni pedum organorum digestionis turbae, ut appetitus cibi languidus, sensus satietatis aut continuus aut iam parcae ingestorum quantitati insequens, ructus, flatulentia, alvi obstructio, membrorum macies saepius praecedunt. Morbus diuturnus aut crebro pedes impetens, denique arthriditis*) evolutione terminatur.

*) Casus arthritidis pauciores, quam qui ad statuendam sententiam: *arthritidem et herpetem scabidum, morbos non natura sed forma tantum sua esse diversos, sufficerent, hucusque mihi obser-*

Casus. N. N., femina annorum 56, quatuor prolium mater, infantili aetate efflorescentia cutis chronica, adulta vero doloribus capitis artuumve rheumaticis, remediis et externis et internis resistantibus laborabat. Puerperium secundum emensa varice pedis dextri a margine interno plantae ante malleolum incipiente, hinc transverse super os tibiae ad externum genu latus progrediente et prope flexuram femoris genitalibus vicinam protenso, per totum hunc cursum solitario, sed varie in orbes implicito affecta fuit. Huic varici successu temporis alii in dorso pedis socii fiebant reticulatim dispositi, minores. Varicum formatione durante doloribus aegra libera, ea vero peracta, illis capitis nimium vexata est. Quum in malum hoc remedia iam plurima incassum adhibita fuerint et thermas ferro divites explorare consultum duxit, quibus vix usus aegra iam, capitis doloribus silentibus, capillorum instar plicae coactio, his autem abscissis pedis sinistri varices plurimi, praesertim posteriorem femorum faciem, popliteum, interius cruris latus dorsumque pedis occupantes, nec non cum pruritu summo ulcera partis inferioris tibiae sensim successerunt. Enatis in pede utroque varicibus dolores tam capitis, quam artuum tantum mutationum atmosphaerae indices facti sunt, multumque mitiores evaserunt.

2. N. N., vir annorum 29, in pueritia scrophulis, aetate adulta febribus intermittentibus crebrisque rheumatismis laboravit. Anno aetatis 27^{mo} pedis utriusque dolore subplantari, initio leni, tandem acriori correptus, remediis tam externis quam internis rheumatismo congruis tractatus est, ast sine levamine; imo incessus eius ob dolores adeo difficilis evasit, ut fulcris uti debuerit. Obtulit ille, dum nosocomium filiale ingredieretur, pedis utriusque tumorem moderatum, altitudine malleolos aequantem, maxime vasse contigit; ex observatis tamen opinioni Cel. J. G. Neuburg et J. Frank lubens accedo.

infra et ante malleolos penes plantam antrorsum protensum. Venae cutaneae supra tumorem copiosissimae visibles, instar filorum tenues, aliae coeruleae, aliae profunde rubrae inferiorem tibiae portionem occuparunt. Remediis sulphuricis, quae initio introitus aegri in nosocomium adhibita sunt, vix aliquid perfectum est; sub usu vero Anthrakokali adnexi mox doloribus levamen, abolitio, tumo-rique decrementum accessere.

3. N. N., puella annorum 21, aetate infantili capitis exulceratione chronica, adulta vero febribus intermittentibus, saepe per annum excurrentibus et cephalalgiis fuit vexata. Anno aetatis proxime praeterlapso sub cephalalgia dira herpes in fronte genisque cum imminutione dolorum capitis prorupit, qui tandem super pectus, dorsum, brachia, femora plagas notabiles occupando extensus est, sed inunctione unguenti hydrargyri cinerei turbatus brevi solum floruit tempore. Recessum herpetis dolores pedum sunt sequi, qui initio leves, hinc ab aegra pauci pensi, atmosphaerae mutationibus ingruentibus acerbiores fiebant, tantopere demum, ut aegra non aliter, quam quatuor extremitatibus innixa, rependo locum mutare potuerit. Successive sub his doloribus inferiores venis copiosis dilatatis obrutae sunt, subque aegrae in nosocomium filiale ingressu qua varices multum evoluti conspecti sunt.

XXXVIII.

Prout in venis systematis cutanei externi, ita etiam in illis interni herpete scabido causa varices enascuntur, etquidem consuetim sub forma haemorrhoidum, varicum ventriculi ac pulmonum.

Pugnant pro identitate herpetis scabidi et haemorrhoidum sequentia:

1. quod parentum haemorrhoidibus adfectorum proles in iuventute generatim herpete scabido laborent.

2. quod proles in iuventute herpete scabido obnoxiae aetate adulta fiant haemorrhoidariae.

3. quod in haemorrhoidariis circa orificium ani symptomata herpetis ante evolutionem illius manifesta sint.

4. sanato herpete scabido ii, quibus fluxus haemorrhoidum imminet, his immunes manent.

5. nodis haemorrhoidum vi mechanica suppressis herpes scabidus vel in cuti aut in organis internis comparet et symptomata producit, quae minus sanguinis abundantiam, quam dyscrasiae herpeticae et scabidae praesentiam arguunt.*)

6. herpete scabido utplurimum forma furunculorum in cuti comparente haemorrhoides mitigantur, evanido augentur.

7. haemorrhoides optime remediis cutaneis, praeprimis sulphuricis tractari posse experientia probatum est.

XXXIX.

Dum herpes scabidus sistema vasorum lymphaticorum infestat, aut ipsa vasa, aut glandulas adgreditur.

Ubi vasa corripit, iuxta decursum trunci maioris vasis lymphatici aeger persentit plerumque in vicinia regionis, cui glandulae plures propriae sunt, tensionem molestam, quam serius dolor pressione augendus motumque membra liberum impediens excipit. Tactu in parte affecta sub cuti deprehenditur corpus durum, longum, diversae crassitie, nonnunquam chordae tantum tensae simile, inaequale. Glandulae ipsae aggregatae, quas vasa petunt, saepe diverso in gradu tument, non raro simul cutis ipsa decursum vasorum ipsorum indigitando magis minusve rubet. Malum hoc

*) Contra Celsum, qui ait: curati quidam, cum sanguis extitum non haberet, inclinata in praecordia ac viscera materia subitis et gravissimis morbis correpti sunt.

plerumque herpete scabido exsiccantibus externe tractato, aut quacunque causa e primaria sua sede ad vasa lymphatica devecto, quemadmodum id, sub nostris manibus, dum herpetem genitalium pruritu adversum supprimeremus, evenit, evolvitur.

Casus. N. N., vir annorum 45, aetate infantili variolas aliosque morbos huic aetati proprios perpessus anno 12^{mo} scabie, 16^{to} glandularum colli dextri lateris tumore, 25^{to} febri intermittente, 30^{mo} vero usque 40^{mum} herpete vesiculato thoracis et auriculae acnisque menti affectus fuit. Hoc malo disparente in crure dextro pustulae pruientes enatae in ulcus abivere. Ulcus hoc spatio 5 annorum saepius emendatum, ast erysipelate cruris saepius revertente denuo in peius mutatum est, donec in instituto quodam nosocomiali osse tibiae, medio scalpri fabrilis, ulceri subiecto demto pessimum indueret habitum. In hoc statu in nosocomium filiale illatus aeger exhibuit ulcus per tibiae dimidium inferius extensem late limbo profunde bruno cinctum minoribusve ulcusculis plurimis circumdatum, fundo generatim coloris cinnabarini instructum, in interiori tamen margine lividum saniemque secernens linteum carpto colorem nigrum impertientem. Sub cura huius ulceris diarrhoea pertinax invasit aegrum, et hac silente carcinoma fungosum in conspectum venit, quo devicto ulcus diu carnem luxuriantem spongiosam procreavit. Dum propter hunc illius habitum borax et sulphur cupri externe adplacentur, in interiori tibiae femorisque latere fasciae instar plaga inflammata, trium pollicum lata, tactui dura, dolens, ab ulce~~re~~ usque glandulas inguinales inferioris ordinis, quae insigne tumebant, protensa enata est. Sepositis exsiccantibus externis inflammatio vasa lymphatica occupans successive remisit quidem, ast sine data causa crebro reversa est; denique tamen resoluto tumore et vasorum et glan-

dularum conticuit, nec ipso ulcere consolidato repetita fuit.

XL.

Ubi herpes scabidus glandulas lymphaticas praediligit vel forma scrophularum, vel tuberculorum subcutaneorum vel furunculorum compareret.

Qui scrophulis infantili et adulta laborant aetate, herpetici scabidiique sunt. Quod quidem observatori attento dignoscendo haud arduum est; multis tamen assertum praecox videri potest. His sequentia perpendenda erunt.

1. Dispositionis scrophulosae signa si nullae adsint scrophulae manifestae ex praecedentibus infantili aetate efflorescentiis, praesertim faciei et capitis, petuntur. Efflorescentiae vero illae plerumque herpetis scabidi pustuliferi (crustae lacteae etc.) statu cutis infantili aetati proprio vix modificati forma comparent. Hic itaque opinio vigens inverti et scrophula pro symptomate herpetis scabidi haberi debet.

2. Scrophulae plerumque suppressis efflorescentiis cutaneis debent originem suam, aut illis vigentibus simultanee vel serius evolvuntur. Idcirco non infantili solum aetati, verum etiam adultae familiares sunt.

3. Herpes scabidus, qua morbus vegetativus, praedominantem diversa aetate in diversis corporis systematibus vitam sequitur, et organa in certa aetate maxima activitatis comprehendit, sic in infantia cutim et sistema lymphaticum, in iuvenili organa respirationis et s. *b.*, quod infra prolixius recensuri sumus.

4. Quod herpetis scabidi remedium est, illud scrophulas omnium aliorum hucusque cognitorum citissime sanguare valet.

XL.

Quae tuberculorum *) efformationi subest dyserasia, praेprimis herpetico-scabida est.

Herpes scabidus, qui tuberculis subcutaneis stipatur, plerumque extremitates occupat, ac ex his prae superioribus inferiores praeferuntur. Comparet vel infra plagas herpeticas in cuti minus distincte evolutas, quasi sub efflorescentia suppressas coloris rubri, rosei vel minii aut livescens saepe in plumbeum mutatis; marginibus laceris, epidermide sicca, pruītu nimio, desquamatione segni praeditas. Simul cum mutatione tandem coloris cutis in normalem comparent infra illam in textu celluloso tubercula dura, a magnitudine lentis usque eam nucis iuglandis, plerumque rotundata, raro oblonga, rarissime vero longa ad plures pollices, quae corii internae superficie adhaerent, prehendi undequaque facile possunt et agitari. Initio parum dolent, ast successive dolorifica evadunt tactumque vix perferunt, quod signum est inflammationis eorum instantisque purulentae resolutionis. Cutis tuberculis superiacens nonnunquam magis vel minus fuscum induit colorem, illisque resolutioni purulentae proximis in medio eorum in levem roseum abit colorem. Resolutione purulenta iam accepta tuberculum in medio emolliri incipit, attollitur et sensim omnem duritiem amittit, quod dum fit enato abscessus pus colore alboflavicante translucet. Demum epidermis finititur pusque cum laciniis textus cellulosi evacuatur. Evacuatione peracta antrum parvum in conspectum venit, quod post aliquot dies granulatione inaequali impletur, etenim hinc inde laciniae purulentae textus cellulosi remanentes aequabilem granulationis progressum impediunt.

*) Sub nomine tuberculorum hic idem processus morbosus intelligitur, qui iam in *Præmissis* 6. sub *) indigitatus est.

Vel comparent tubercula post herpetem erysipelaceum scabidum et decursum nunc descriptum observant.

Saepius a nobis obseervatum est tubercula iam resolutioni purulentæ proxima enata tussi absorpta fuisse ac in aegro signa phthisis tuberculosae comparuisse.

XLII.

Dum herpes scabidus forma furunculorum apparet, potissimum in natibus, circa orificium ani, rarius in femoribus, brachiis, trunco, aut infra axillas est visibilis.

Furunculi aut solitarii aut aggregati sunt. In priori casu cum pustula exigua pruriens vel urens in summitate exiguum phlyctaenulam gerente ortum ducunt, ad molem circiter pisi increscent, laete rubri dolent et quum suppurant febrim consuetim consecutivam excitant. Glandulae vicinae maiores plerumque ex consensu intumescunt, dolent. Inter furunculum et tales glandulas vas lymphaticum interiectum instar chordae tensum, tumidum, durum, dolens reperitur. Comparatio furunculorum post invicem longiori tempore durare solet.

In casu posteriori furunculus, qui in medio situs est, ceteros volumine excedit, saepe tumore omnium in unum confluente ad magnitudinem nucis iuglandis aut ovi gallinacei augetur. Dum suppuratione absolvitur pus alboflavicans per plura foramina, aut his pluribus in unum margine lacero coëuntibus effluere consuevit.

In utroque casu furunculorum copia magna aut simultanea aut post invicem hominem herpeti scabido obnoxium obruit. Cicatrix consolidato furunculi abscessu bruneus esse solet.

Herpes scabidus furunculorum forma comparens a nobis *furanculiformis* dictus nonnunquam et syphilidis blenorrhoicae characterem offerre videtur. Hic pus normale

(albo-flavicans) rarissime parat. Tumor in eo est plus minus livens, mollior, liquidum sanguinolentum continens; nec facile per se aperitur, imo saepe cultrum exposcit, effusoque semel contento sanguinolento denuo impletur, laborioseque sanatur. *Cicatricis remanentis ambitus coloris lividi est.*

Casus herpetem scabidum vasorum et glandularum lymphaticarum illustrantes.

1. N. N., vir annorum 28, praeter variolas in pueritia secunda perpessas usque annum aetatis 17^{mum} sanus vixit; tum rheumatismo universali, qui abscessu critico in gena textra enato solutus est, laboravit. Anno 27^{mo} denuo rheumatismo cruciatus est, eoque durante blennorrhoea urethrae syphilitica buboneque inguinali utriusque lateris et his imminutis cancro glandis penis (ut ait creta adposita sanato) correptus fuit. Interim dolores rheumatici maiori coeperunt saevire vi, nec cucurbitulae cruentae genubus, scapulis adplicitae quidquam tulerunt levaminis, imo et oculus dexter inflammatione rheumatica corripi, angulus oris sinister versus processum zygomaticum eiusdem lateris duci pustulaeque copiosae segregatae per universum corpus propallulare continuarunt. Pustulis disparentibus in brachiis ac antibrachiis, superciliis, nec non crure utroque herpes phlyctaenoides et simul in cruris sinistri interiori latere inter gastrocnemios ac os tibiae oculis quoque visibilis tumor crassitie pennam anserinam aequans sex pollices longus enatus est. Evanido e cruribus herpete tumor hic et latitudine et longitudine auctus —, et femur quoque usque inguen ingressus est. Malum hoc tantum remediis herpetis scabidi cessit.

2. N. N., iuvenis annorum 19, opifex, infans scrophulis laborabat; tandem sanus autumno anni 1832 scabie infectus est. Hoc malum intra quinque dies in instituto

quodam nosocomiali e cuti pulsum est. Hyeme subsequente propter pleuritidem in nosocomium filiale illatus antiphlogistico apparatu tractatus fuit. Remittentibus pleuritidis symptomatibus cunctis magis ac magis, praesertim in abdomine prurire coepit, ibique tubercula parva, sicca, characterem scabiei retropulsae^o) gerentia, et eadem methodo ultiro continuata, in manibus ac femoribus enata sunt. Sub usu florum sulphuris impetigine ultiro propullulante et denique disparente sanitas rediisse visa est. Aestate eiusdem anni hic iuvenis cum nimio partis cartilagineae nasi tumore inflammato, nariumque ulcusculis herpetico-scabidis nec non auricularum glandularumque inframaxillarium inflammatione in idem nosocomium susceptus fuit. Sub regimine antiphlogistico emendatis his vitiis in flexura cubitali brachii utriusque herpes scabidus comparuit. Usu florum sulphuris denuo resumto pars affecta morbo liberata apparuit. Autumno eiusdem anni cum tumore nimio parotidum ac glandularum inframaxillarium, nec non colli et auriculae lateris sinistri suscipi petiit. Emendatis tumoribus scrophulosis herpes phlyctaenoides retro aures sine nota scabida evolvebatur, quo, nondum sanatus, e nosocomio excessit.

3.. N. N., femina annorum 33, infans in facie herpetem furfuraceum, aetatis anno 9^o scabiem experta est. Annis pubertatis pneumonorrhagia, tussi chronica, hydrope —; iuventutis vero odontalgiis dentibus ordinis superioris omnibus interitum parautibus, capitis doloribus, anginis, nec non aphthis oris creberrime vexabatur. Anno aetatis 27^o isthmide absque suppuratione habituali resoluta glandulae colli sinistri lateris usque claviculam intumuerunt, et spatio fere duorum annorum plures in suppu-

^o) Scabies dum primitus individuum aliquod comprehendit, a nobis non alia, quam sub forma solum pustulosa observata est; scabies vero sicca, papulosa, semper retropulsae propullulantis signa arguit.

rationem abiverunt; hoc tempore et odontalgiae et aphthae oris et isthmitides rarissime observatae sunt. Anno aetatis **31^{mo}** tumoribus resolutis dolore faciali Fothergillii usque insultus tetanicos saeviente, nunc in latere menti alterultra, nunc in palpebra superiori sinistra, nunc in genis residente correpta fuit; quo remittente denuo glandulis colli laboravit, quorum tumore dissipato ob glandularum mammae iam unius, iam alterius intumescentiam cum oris aphthis alternantem angebatur. Anno aetatis **32^{do}** in genu dextro herpes scabidus centrifugus pustulifer brevi floruit tempore, recessumque eius glandularum colli tumores hucdum vigentibus maiores exceperunt.

4. N. N., vir annorum **35**, operarius, herpete genitalium, imprimis scroti, vesiculato in nosocomium filiale susceptus est. Hic immediate ante evolutionem hoc loco herpetis furunculis trium sub decursu mensium continuo laboravit. Cicatrices furunculorum brunei coloris in natibus, femoribus, ac tibiis insimul **47** numeravimus.

Exemplum simile et sutor N. N. **40** annorum obtulit. Sedes in illo furunculorum dorsum, praesertim regio sacra ac crura fuerunt. Cicatricum ambitus profunde lividi cutim eius ita variegatam reddidere, ut ea pelli leopardi non assimilis videretur. Furunculorum evolutio enatis pedum ulceribus herpeticis siluit.

5. N. N., vir **32** annorum, aetate puerili ac invenili herpete phlyctaenoide carpi manus dextrae ac digitorum, rheumatismis febribusque intermittentibus creberrimis, nec non tussi chronica fuit adfectus. Contagio scabiei exppositus, hac non, sed urticaria solum diutius durante fuit corruptus. Ineunte aetate virili haemorrhoidibus, his silentibus ventriculi sensibilitate nimia, hac vero cessante per integrum annum furunculis in natibus, circa orificium intestini recti, in femoribus ac antibrachiis plurimis fuit obrutus. Aestate anni **1831** saeviente cholerae epidemia nulli,

hac silente pauci comparuere furunculi, quorum silentium pruritus surarum vespertinus, hunc herpes scabidus phlyctaenoides primo in cruribus tandem femoribus visus successiveque per corpus totum extensus excepere. Herpete scabido sulphuricis tractato, quamvis dyscrasia herpetica remanserit, nullum tamen tussis chronicæ, furunculorum etc. adfuit vestigium.

6. N. N., virum 39 annorum, aurigam robustum ob rheumatismum chronicum brachii dextri in nosocomium filiale suscepimus. Eius brachiis, antequam nosocomii opem quaesivisset, anicula unguentum cel. Autenriethii tali inunxit successu, ut membrum innumeris obrutum pustulis nimium intumuerit, febrisque sat valida symptomata topica comitata fuerit. Aëgro praecedente aetate praeter febres intermittentes et rheumatismum febrilem se sanum vixisse affirmanti solutionem nitri unguentique emollientis inunctionem usque febris silentium ordinavimus. Doloribus brachii rheumaticis nec virtute unguenti cel. Authenriethii sublatis, nec febri evanida remittentibus, imo crebris atmosphaerae mutationibus incrudescendibus sulphurica narcoticis iuncta opposuimus, eo successu, ut post lapsum duarum septimanarum furunculo vultus dextri critico enato dolores disparuerint. Sanitas vix tribus duravit septimanis, iam aeger propter furunculos scapulae, colli, axillae, brachiique lateris dextri opem quaesivit. Tantam furunculorum solitariorum ac aggregatorum eodem tempore in eodem individuo praesentium copiam nunquam vidimus, numerati enim simul 43 fuerunt. Horum causam copiamque effectui unguenti cel. Autenriethii posthumo adscriptissimus, nec aliud, quam cataplasma e farina seminum lini lacte confectum ordinavimus. Reapse furunculi evacuato nucleo sanari cooperunt, dum aeger ictu brachii toties affecti doloribus novis, rheumaticis similibus, profundis et pruritu superficiali afflictus denuo nosocomium ingressus est. Hic

herpes vesiculatus scabidus cum tumore nimio brachii, an-
tibrachii, manus et scapulae lateris dextri propullulavit et
sensim magnam partem pectoris, abdominis, dorsi, natum,
inguinum femorumque pervagatus est. Herpete hoc sca-
bido solum sulphuricis tractato annis duobus sanus vixit,
post hoc tempus herpete papuloso simplici comparente la-
boravit.

7. N. N., vir robustus, molitor, 57 annorum, supe-
ratis feliciter morbis infantilibus anno aetatis 7^{mo} scabie
ope balneorum e decocto quercus paratorum sanata, 16^{to}
vero febri adynamica adfectus fuit. 38^{vo} scabies, cuius
infectionis occasio aegro ignota mansit, inunctione lini-
menti saponato-camphorati brevi pulsa est, ast illam tussis
chronica in pneumonorrhagiam abiens, yenae sectionibus
devictam, secuta est. 54^{to} herpetem scabidum pustulosum
propullulantem, sed mox recedentem peripneumonia, hanc
dolores rheumatici artuum, qui evolutione herpetis in crure
utroque multum mitigati sunt, exceperunt. Herpes hic for-
ma sua centrifugus imperfecte evolutus colorem obtulit li-
vescenti-nigrum (adeoque characterem herpetis scabido-sy-
philitic), pruritu nimio lacessebat, et magnam partem tibiae
utriusque occupaverat. Infra cutim nodi percipiebantur tactu
tam in crure, quam femore utroque, et quidem in femore
sinistro tubercula magnitudine nucis avellanae et pisi mi-
noris quatuor, in crure eiusdem lateris septem, e quibus
duo iam in abscessus resoluti sunt, magnitudine fere om-
nes nucis iuglandis; in crure dextro quatuor, e quibus
unum quinque pollices longum, unumque latum, hinc inde
constrictum e pluribus coalescens, reliqua pisi magnitudine
deprehensa sunt.

8. N. N., iuvenis annorum 21, opifex, aetatis anno
16^{to} ulcus herpeticum in crure dextro e pustula et vesiculis
enatum, et post longam durationem in instituto fratrum
misericordiae sola aqua tepida apposita sanatum gessit. Exi-

quo tantum tempore sanitate gavissus est, etenim in omni fere corporis parte ulcera parva, sparsa, quorum cicatrices herpetem scabidum ulcerosum arguunt, enata sunt. His solutione plumbata consolidatis pars cartilaginea nasi in ingentem molem intumuit et nares ulceribus resertae sunt. Eodem remedio adhibito nasus quoque detumuit, ast crus dextrum tubercula subcutanea et herpes complicatus vitia- runt. Tuberculis emollitis ulcera successere, quae neglecta larvis muscarum reserta tam maligna evaserunt, ut tibiae cariem adduxerint. Congruo tractamine adhibito ulcera cicatrice obduci cooperunt, dum ex diaetae errore sphacelo correpta nimium dilatata sunt. Depuratis denuo ulceribus infra genu in exteriore cruris latere herpes pustulosus cen- trifugus iisdem accessit.

XLIII.

Materies herpetica per se vel scabiei aut syphilidi blennorrhicoiae iuncta sistema membranarum serosarum tex- tuumque fibrosorum infestans specie rheumatismi vel acuti vel chronici comparere solet.

Disparente scilicet e cuti herpete legitimo idem saepius ligamenta tendinesque corripit et febrim maioris vel minoris vehementiae simul excitat; vel cum rheumatismo simplici febrili connubium init. In utroque casu febris rheumatica imperfecte resolvitur, motus febriles vespertini in longum tempus extenduntur, dolores cessante omni febri sub mutationibus atmosphaerae recrudescent, et saepissime exsudatione liquidi serosi, furunculo vel herpete criticis com- parentibus penitus silent.

Dolores rheumatici per longum tempus excurrentes sine febri distincta vespertini, interdiu cessantes, sub mutationibus atmosphaerae aciores, vel qui tantum his mutationibus exasperantur, omnes iustam herpetis sublatentis

suspicionem movent, et reapse pari priori ratione terminari solent.

Casus. N. N., femina annorum 23, in iuventute prima capitibus artuumque doloribus crebris, nec non febri intermittente laboravit. Gravida partuque praematuero embryonem quatuor mensium enixa in febrim vehementem rheumaticam incidit, qua iam ultra septimanam excurrente nosocomium filiale ingressa est. Impetu febris parumper fracto in genu sinistro effusio synoviae maiori copia, in cubitu dextro tumor arthriticus magnae molis cum contractura, in fronte, radice nasi ac gena utraque herpes scabidus centrifugus pustulifer enata sunt. Quamvis aegra sudoribus fere disfluxerit et solutionem nitri diutius sumserit, exacerbationes febris vespertinae usque in tertiam ab introitu in nosocomium septimanam continuarunt et auctis tantum et genuino herpete et tumoribus rheumaticis continebantur.

2. N. N., annorum 21, opifex, in iuventute prima saepius rheumatismis obnoxius eliso pede aetatis anno 19^{to} genu dextrum contudit, contusioni mox inflammatio, ac morbo diuturno facto suppuratio cum iuncturae genu dislocatione terminata (gonarthrocace) accessit. Hoc malo sanato ultra annum, si revertentes hinc inde genu dolores et blennorrhoeam urethrae excipias, sanus vixit. Deficiente causa occasionali idem genu vere anni 1833 denuo inflamatum est. Vidimus tum tumorem genu ingentem cum effusione synoviae et extremi inferioris ossis femoris intumescentia patellam versus latus internum ac antrorum declinantem, caput tibiae ac fibulae poplitem versus recedens, simul abscessum latus internum capitis tibiae occupantem. Abscessu maturo aperto antiphlogisticam methodum in usum duximus, hacque varia fortuna per mensem continuata ac demum tumore omni collabente abscessuque cicatrizado in alis narium, mento, femoribus, humeris pustulae herpetico-

scabido-syphiliticae enascebantur; his in plagas confluentibus in corona glandis penis condylomata conica apparent. Pustulas sensim crusta, in mento in conos, instar illorum condylomatis fissa, obduxit. Cura itaque morbi primum antisyphilitica dein herpetico-scabida suscipienda determinata est. Sub usu hydrargyri et condylomata et plague herpeticae disparuerunt, quo viso, aeger se sanum autumans e nosocomio excessit. Ast secunda valetudine solum brevi fruebatur tempore, nam herpes in alis narium denuo comparuit, nec nisi delecta nasi ala dextra reces- sit. Eundem locum et tertia vice post breve temporis spatium adgressus est forma pustulosa retenta; imo hac occasione sub doloribus rheumaticis diuturnis manuum carpis ac genubus tumores rheumaticos adiecit.

3. N. N., femina matre ulceribus pedum antiquis affecta nata, annorum 36, ab aetatis anno 20^{mo} hemicraniae dentiumque doloribus obnoxia, anno aetatis 33^{to} vere et au- tumno doloribus rheumaticis articuli humeri vexata et fere per integrum annum remediis antiarthriticis usa est. Vere anni 1833, novis doloribus, qui ex articulo usque medium ossis brachii mordicantes, terebrantes extendebantur, correpta sunt. Aegra his doloribus iam quinque diebus sae- vientibus hirudines opposuit, ast sine levamine, imo bra- chium in regione morsus hirudinum inflammatum est, do- lores vero exasperati sunt. In hoc statu varia, effectu vix conspicuo adhibita sunt pharmaca. Ex his antiherpetica non solum dolores mitigarunt, imo hucusque novum morbi insultum impediverunt.

Haec femina in latere thoracis dextro lupiam ovum columbinum aequantem gerit. Soror eiusdem pneumonorrhagiis, febris intermitentibus ac doloribus arthriticis est obnoxia.

4. Puella annorum 30, matre longissimo tempore blennorrhoea vaginae ac vesicae urinariae (quod pater re-

tulit) affecta in lucem edita, aetate adolescentiae primae herpete, iuvenili vero rheumatismis diverso tempore vexata est, donec anno aetatis 25^{mo} et subsequis quolibet vere et autumno diris manuum ac pedum doloribus, nodos arthriticos ac distorsionem artuum inducentibus lecto adfixa fuisset. Sub usu remediorum antiherpeticorum autumno et hyeme anni 1833. in flexura cubiti ac poplitis herpes cum levamine comparuit.

5. N. N., vir annorum 37, hortulanus, matre spasmis ac ulceribus pedum chronicis laborante, patre sano natus, ab anno aetatis 17^{mo} longo tempore scrophulis laboravit. 30^{mo} anno hyeme in fluvium illapsus pneumonorrhagia correptus —, subsequis vero annis febrium intermittentium recidivis et rheumaticis doloribus, nec non herpete ulceroso *) femoris sinistri agitatus est. Anno 37^{mo} doloribus capitis immanibus, quibus frigus externum initio paucum, tandem nihil tulit levaminis, cruciatus fuit. His iam aliquot septimanis durantibus hirudines fronti, vesicatorium nuchae adposita opem tulerunt; ast vulnera morsu hirudinum illata sensim in ulcera, quibus os frontis denudatum est, mutata sunt; nec plaga vesicante laesa sanata fuit, imo illius quoque margines in ulcera profunda abierunt. Ulceribus frontis continuo ampliatis, imo in vicinia eorum tuberculis subcutaneis enatis et in abscessus abeuntibus nosocomium filiale ingressus est. Visa sunt hic ulcera quatuor, scilicet supra supercilium dextrum maximum, circulare, diametro duos pollices aequans, habitu suo herpetem scabidum centrifugum ulcerosum offerens. In medio huius os frontis quinque lineas longum, periosteum orbatum, sed glabrum visum est. Supra hoc ulcus aliud, sed minus,

*) Vulgaris ast memorabilis est plebis in Hungaria fides: arthritidem rheumatismumque chronicum mitigari, si efforuerint. Flos vero talis nihil aliud est, quam herpetis complicati formae diversae.

ambitu crucigerum austriacum cupreum aequans in limine capillitii fuit obvium. Tertium in radice nasi superiore margine glabellam attingens ponte cutaneo angusto a primo separatum, amplitudine priori simile cernebatur. In huius quoque medio os frontis magnitudine lentem aequans eminebat. Abscessus matus e tuberculo enatus in extremo superciliī sinistri ad tempora sito praesens cum ulcere inter supercilia posito infra cutim communicavit. Ulcus quartum in vertice capitis parvum —, non procul vero ab hoc abscessus magnitudine nucis iuglandis, utrumque e tuberculo ortum dicens, detecta sunt. In nucha plaga herpetis scabidi centrifugi ulcerosi magnitudine palmam manus aequans visebatur. In femore sinistro cicatrix herpetis ulcerosi ante annum sanati conspicuus fuit. Remediis sulphuricis in morbum initio ordinatis ulcera e centro peripheriam versus cicatrice obduci cooperunt; duo illa, in quorum medio os apparuit, circa hoc contrahebantur ita, ut in ulcere inter supercilia sito granulatio os penitus obtegeret; in altero supra supercilium dextrum posito pauxillum transpareret. Ex abscessibus ille frontis cultri admicculo apertus materiam fudit purulentam laciniasque texitus cellulosi; alter autem verticis naturae viribus commissus vestigio nullo relicto resorptus est. Interim dum sanatio hac ratione et in aliis plagis memoratis procederet, in carpo aegri dextro tumores arthritici enati sunt; his vero sub somentis calidis disparentibus, herpes in antibrachio eiusdem lateris scabidus papulosus, tandem urticaria totius corporis, denique herpes scabidus vesiculatus in abdomine comparuit, qui ulceribus minoribus penitus cicatrice obductis disparuit. Dum taliter emendato statu aeger gavisus esset, dimitti petiit. Verum extra nosocomium inordinatam vivendi eius rationem omnium cicatricum in ulcera conversio, imo abscessus in humero dextro e tuberculis pluribus in unum confluentibus subcutaneis enati,

magnitudine ovum anserinum aequantis in pus resolutio, simulque cum doloribus nimiis tumorum arthriticorum in carpis manuum ac tarsis pedum evolutio secuta est. Susceptus est denuo in idem nosocomium. Anthrakokali, quod ei per menses duos porrectum est, tumores omnes disputit, ulcera in cicatrisationem perduxit, ast aeger errores diaeteticos saepius committens sub febri gastrica in priorem recidit statum, e quo emergens, iterum sanitati proximus in febrim intermittentem e dicta causa incidit, et hoc morbo liberatus ob effrenem semet gerendi modum dimitti debuit.

6. N. N., puella annorum 26, annis iuventutis doloribus artuum crebro revertentibus, tumore apo- et epiphysium ossium terminatis per annos plures vexata, demum columnae vertebralis in regione lumbali antrorsum versus curvatione, extremitatumque inferiorum curvatura, ob quam incessus sine fulcris impossibilis, eorum adminiculo autem difficillimus fuit, ad extremam mendicorum sortem adacta est. Hoc statu in institutum pauperum suscepta, indeque recrudescientibus artuum doloribus nosocomio filiali transmissa est. Sub usu hic remediorum antirheumaticorum herpes scabidus pustulifer in cutim totam propullulans doloribus metam posuit. Herpete autem scabido sanato contractura extremitatum inferiorum ita remisit, ut aegra fulcris suis abiectis e nosocomio excesserit.

XLIV.

Morbus herpeticus systemati osseo infensus nunquam simplex, imo semper complicatus esse solet. Ubi ille scabiei iunctus hominem adgreditur, febrim plerumque validam excitat, et vitatis ossis aliis partibus illius apo- et epiphyses spongiosas una cum periosteo —, praesentibus doloribus rheumaticis diversi gradus, — in tumorem notabilem auget. Ubi vero ille simul cum syphilide complicatus

est, praeter quod extrema ossium longorum feriat et corpus quoque eorum tophis adficit.

In uno casu os in frontis parte sinistra instar ovi gallinacei —, in costae octavae lateris sinistri medio instar nucis avellanae, in crista ossis ilei eiusdem lateris simili modo protuberavit; dum eodem tempore utriusque brachii contractura cum tumore extremiti inferioris ossis eiusdem membra, nec non ossium femoris crurisque cernebatur. Hoc individuum postquam duobus annis bona fruenter valetudine, mania correptus est, qua cedente amblyopia oculi sinistri adfectum est.

XLV.

Materia herpetica nervos feriens neurosibus diversae formae praebet originem. Morbi quamvis nervorum e dynamica causa nonnunquam ortum ducant, tamen substratum materiale eos sustentat. Quod talis materia ad vegetations sphaeram pertineat inde patet, quoniam chronici nervorum morbi quoad periodicas exacerbationes cum illis manifeste vegetativis congruunt. Sic herpes legitimus in crescente lunae disco vivacius floret; epilepticorum insultus plurimum hoc tempore sunt crebrios; somnambulismus aeque huic obtemperat periodo etc.

Casus. N. N., vir 37 annorum, compage corporis athletica praeditus herpete interdigitali ulceroso pedum affectus, ineunte vere anni 1834 in nosocomio filiali solo decocto radicis althaeae medio linteraminis carpti adposito curatus dimissus est. Mense octobri eiusdem anni cum eodem statu morboso in idem nosocomium rediit, tumque sub initium idem decoctum, quod supra dictum est, ulceribus adpositum fuit, quibus citissime cicatrice inductis et exsiccatis repente trismus tetanusque evolutus est, quos intra spatium 24 horarum mors sequebatur.

2. N. N., vir annorum 28, in iuventute prima scabie contaminatus, ab hac immersione corporis in aquam fluentem frigidam liberatus est. Scabies illa saepius rediens dein semper unguento sulphurato pulsa fuit. Anno aetatis 24^{to} convulsionibus lateris sinistri correptus est, his venaesectione et moscho devictis in hypochondrio sinistro dolor nunc pungens, nunc obtusus tribus annis restitit; tum pancreatitide correptus et ab hac liberatus denuo dolore hypochondrii lacesitus est. Post semialterum annum vomitu habituali matutino, et hoc silente pustulis per extremitates superiores ac inferiores dispersis, prurientibus affectus est. Refrigerio admisso noctu convulsionibus unilateralibus, quae stupore, formicatione hypochondrii sinistri pedisque eiusdem lateris, anxietate, respiratione anhelosa, pulsibus arteriarum intra minutum primum 50, motibus muscularum abdominis sinistri lateris undulatoriis similibusque manuum ac pedum, in motus involuntarios cum vacillatione capitis et conscientiae absentia erumpentibus absolvebantur, correptus est. Et febri et convulsionibus die morbi quinta devictis in poplite ac flexura cubiti herpes scabidus pustulifer, pustulis suprasfatis dispersis evanidis propullulare coepit, sulphuricisque curatus remediis disparuit, et quamvis post duos annos denuo effloruisset, convulsionibus stipatus non fuit.

3. In viro N. N., annorum 28, praeter syphilidem cancroso - blennorrhicoam mercurio curatam semper sano, hemicrania sinistra dira prorumpenti in fronte herpeti syphilitico - papulo ad parvas plagas restricto cessit.

4. N. N., puella rusticana anno aetatis 14^{to} a tauro fero necem ei minitante terrore perculta et in huius sequelam epilepsia affecta, anno 16^{to} in urbem serviendi causa appulit. Hic insultu epileptico quadam vice in platea lapidibus strata prehensa cum contusione genuum nosocomio filiali tradita est. Praeter hanc contusionem blen-

norrhœam quoque vaginae coitu adquisitam obtulit. Confusione methodus antiphlogistica (quies, frigus, hirudines) diutius opposita fuit, et sub hac genu sinistrum mox in pristinum valorem restitutum est, dextrum minime; hoc enim magis ac magis dolere, tumere atque rubore perrexit, nec ulteriori sanguinis evacuationi topicae, vaporibus calidis et cataplasmatibus administratis cessit, imo in gonarthrocace evolvi intendit. Interea sub plenilunio epilepsiae insultus prioribus mitior comparuit. Genu dextri malum cum liquidi synovialis morbosi in membranam eius capsularē effusione auctum ultro remediis antiphlogisticis oppugnatum fuit. Sequens epilepsiae insultus adeo erat facilis, ut aegra ne quidem animo linqueretur, et halitus quasi tantum mali sui torqueretur. Haec puella adhibitis remediis antidyscrasicis ex utroque malo curata est.

5. N. N., vir 32 annorum, anno aetatis 17^{to} a fulmine prope illum terram petente adeo territus est, ut in gravem morbum epilepticum laberetur. Hoc morbo cerebrime recurrente usque praedictum annum cruciatus est. Quum aeger se semper sanum fuisse professus esset, nec aliqua morbi complicatio detegi potuisset, morbum pure nervosum iudicavimus, et usum pigmenti indici (indigo) morbo congruum sumendum determinavimus. Sumto remedio herpes papulosus furfuraceus, aspectu simplex per integrum integumentorum communium extensionem diffusus comparuit, serius vero in crure sinistro prope malleolum externum in osse tubera parva instar pisi rotundi enata sunt, cutis autem color in flavo-bruneum squamulis variegatum mutatus est. Nunc investigato attentius corpore in nucha cicatrice in herpetis ulcerosi, qui adposito vesicante prorupit pridem et per plures menses perseveravit, primum animadvertisimus. Vigente herpete intra duorum mensium spatium insultus epileptici, qui antea dietim terni quaternive fuerant, tantum bis motibus digitorum manus invo-

Iuntariis, nec abolita conscientia notati rediverunt. Tali emendatione mali sui contentus aeger e nosocomio exces- sit; verum quum absque pharmacis crebriores morbi sui paroxysmos observaret, talia expetiit. Iterum emendatus est; verum tussis, qua hoc tempore correptus fuit, metu phthisis pulmonum stipata fuit, haecque post medium annum tandem evoluta est, epilepsiae quidem frenum imponens sed vitae interitum parans.

6. N. N., femina annorum 39, nullo morbo, infantilibus exceptis, usque annum aetatis 23^{tiom} adfecta fuit. Tum ex alto per gradus aedificii delapsa ex terrore epilepsia fuit correpta. Hic morbus insultibus increcente luna ve- hementibus et dietim pluribus stipatus perdurat. Ante duos annos sub insultu, quem in platea perpessa est, nasum contudit. Huic contusioni tumor ingens cum ulcere ac sup- puratione diurna partis adfectae accessit. Propter hoc ulcus et nimiani in rixas animo malevolo propensionem in nosocomium filiale missa herpetem scabido-syphiliticum cen- trifugum ulcerosum nasi, frontis ac superciliorum obtulit. Ossa nasi destructa sub ulcere desiderabantur.

Postquam aegra remedia antidyscrasica diutius sum- sisset, epileptici insultus mitiores rarioresque facti sunt et hac emendatione contenta facultatem e nosocomio excedendi obtinuit.

XLVI.

Materies herpetica organa respirationis impetens morbi eorum chronicus facile causa est. Ea vero raro simplex, plerumque cum scabie complicata esse observatur. In hoc complicationis casu vere semper tuberculorum formationi favet.

Casus. N. N., iuvenis annorum 20, patre lithiasi vesicae urinariae ac botryocephalo laborante, matre herpeti

papuloso furfuraceo subiecta natus in infantia tribus annis impetigine cutis vexatus est. Morbus hic balneis lotionibusque e lapide caustico ac mercurio sublimato corrosivo paratis cessit. Sanationem bronchitis specifica occasione cuiuslibet mutationis atmosphaerae insurgens, quae sub decursu 12 annorum variis remediis a medicis celeribus ordinatis frustra oppugnata fuit, secuta est. Bronchitis haec primordia coepit cum sensu oppressionis pectoris, respiratione cito, difficiili, sine ullo dolore, decubitu in utrumque latus possibili, pulsu accelerato pleno, genarum ac oculorum turgore. His signis altero die respiratio anxia et anhelosa, in situ tantum sedentario et humeris medio brachiorum elevatis possibilis, loquela interrupta, venarum frontis ac colli turgor nimius, genarumque livor, appetitus cibi potusque abelitio, cordis palpitatio in scrobiculo perceptibilis, arteriarum ictus frequentiores parvi, denique tussicula rara accesserunt. Tertio die tussis frequens, qua mucus crudus, spumescens brevi in coctum mutandus electus est, tanto omnium symptomatum levamine comparuit, ut aeger surgere et laboribus suis praeesse potuerit. Oppressionem pectoris sanguinis ope hirudinum evacuatio, vel linctus quidam demulcens sive ab initio, sive sub acme morbi mitigavit quidem, ast latum levamen duratione vix aliquot minutorum fuit; etenim respiratio mox ex tempore tam laboriosa evasit, ut mors suffocativa inevitabilis videretur; nam morbus non aliter, quam secrezione muci copiosa perfecte solvi observatus est. Unguentum cel. Autenriethii thoraci longiori tempore ita inunctum, ut suppurationem continuam sustentaret, insultum morbi per annum dimidium arcebat.

2. N. N., semina sexagenaria, autumno anni 1833. phthisi ut apparuit consummata in nosocomium filiale illata est; etenim tussis continua, qua sputa purulenta, maximam partem coloris hepatici, summe foetida reddebantur, ex-

acerbationes febriles binae, diarrhoea colliquativa, respirationis difficultas, decubitus solum in latere dextro possibilis, emaciatio summa etc. nullius alterius morbi imaginem offerre potuerant. Adfuit simul insignis vasorum, quae caput petunt, turgor, cum mentis alienatione. Tantum haec aegra sparsit foetorem, ut ferri vix potuerit. Gessit vestula in acromio lateris sinistri cicatricem herpetis centrifugi adhuc recentem et per musculi deltoidei extensionem sitam, retulitque: ab sanatione illius se pneumonorrhagia primum, dein tussi diurna correptam fuisse. In desperato morbo praeter decoctum salep cum nitro nihil ordinavimus, et penes hoc remedium praeter exspectationem nostram herpes ad plagam primitivam redux effloruit; morbus vero pulmonum pedetentim ita disparuit, ut aegram respectu morbi pulmonum relative sanam dimittere potuerimus.

3. N. N., femina 49 annorum, herpete frontis scabido-syphilitico ulceroso habituali affecta, post huius recessum iam ter in nosocomium filiale cum signis phthisis pulmonum pathognomonicis suscepta, et restituto ulcere pristine valetudini restituta fuit.

4. N. N., femina 25 annorum, aetate iuvenili scrophulis et herpete legitimo affecta fuit. Anno aetatis 23^{is} tussi continua vexatam graviditas sequenti anno subsequens ab illa immunem reddidit. Partu absoluto tussis, priore longe pertinacius febri dictim dupli stipata illam terrebat; quapropter nosocomium filiale ingressa, hic phthisis consummatae signa obtulit. Tum temporis occupabamur investigatione effectus remediorum derivantium remote a parte affecta adiplicitorum. Huic feminae in specie unguentum cel. Autenriethii in genu utrumque inungi curavimus. Inunctiones has paucae pustulae, ast eo maior genu totius inflammatio tumorque cum morbi pectoris silentio fere plenario comitabantur. Aegra nostram curam morbo pulmo-

num deteriorem declarans, ulteriori morbi observationi suo e nosocomio excessu ansam demit.

5. Puella annorum 20 aetatis anno 9^o tinea capitis, 14^o tumore glandularum colli laboravit. Eodem anno catameniis, ast binis tantum vicibus salutata est. Catamenia usque annum aetatis 16^{um}, vices eorum fluore albo agente, siluerunt. Hoc anno scabie pustulosa fuit affecta, qua pulsa catamenia comparuere quidem, ast parce solum, moxque fluori albo cesserunt. Fluorem album anno aetatis 18^{vo} cum nimio genitalium pruritu ulcera, ob quae quatuor mensibus sub cura medica fuit, comitata sunt. Ulceribus fere sanatis, fluoreque injectionibus mitigato pulmone coepit laborare. Tussis sanguinolenta vix aliquot septimanis pertinax viguit, iam et fluor albus et ulcera genitalium recruduere. — Post annorum duorum lapsum suscepta est in nosocomium filiale cum phthisi pulmonum, ulceribus nympharum et introitus vaginae herpetico-scabido-syphiliticis ac hydrope cutaneo, ibique post aliquot dies exspiravit.

XLVII.

Materia herpetica ovaria impetens horum tumoris fundamentum ponit.

Casus. N. N., femina annorum 30, duarum prolium mater, in infantia a nutrice scabie infecta est. Aetatem iuvenilem sana transegit. Nupta post partum secundum saepius ventre aegrotabat, scilicet post admissum quodammodo refrigerium spasmis nimis dolorificis diuque durantibus vexata est. Anno aetatis 25^o spasmos iam per aliquot menses silentes tussis secuta est diuturna, hanc capitis dolores frequentes, hos vero denuo spasti, qui a regione lumbali dextri lateris usque os pubis extensi erant, exceperunt. Postquam insultus horum dolorum crebros tri-

bus annis tulisset, ovarium dextrum, prout sub investigatione apparuit, sensim ad magnitudinem ovi sere anserini increvit. Remediis alexipharmacis in usum tractis in dorso manus utriusque primum urticaria, tandem herpes scabidus nodulatus comparuit. Spatio duorum annorum sub cura antidyscrasica saepius interrupta quamvis impetigo cum reditu spasmorum saepius recesserit, sensim ita decrevit, ut manui investiganti non amplius apparuerit.

2. N. N., puella annorum 27, matre herpete ulceroso et paralysi extremitatum inferiorum affecta nata, fratrem herpete ulceroso, sororem alteram leucorrhoeae, binas vero alteras diarrhoeis creberrimis subiectas habens, aetatis anno 7^{mo} usque 9^{um} herpete ulceroso imi hypogastrii, hoc evanido crebris diarrhoeis, aetatis autem anno 16^{to} herpete scabido ulceroso digiti indicis ac medii, nec non metacarpi manus dextrae diutius affecta fuit. Hoc loco herpes medio unguenti exsiccantis et pilularum drasticarum pulsa est. Ab hoc tempore semper abdomine laboravit et anno aetatis 17^{mo} in abdomine imo e regione inguinis dextri tuber durum, dolens, magnitudine ovi anserini, quod dietum in molem maiorem auctum est, inclinato antrorum trunko animadvertis. Dum in latere dextro tuber incresceret, aliud in sinistro latere detectum est. Praecox utriusque incrementum hirudines crebro adplicatae remediaque solventia impedire haud poterant, imo penes haec tanta fuit abdominis sensibilitas, ut incedere maximis solum doloribus potuerit. Intra septem annos tuber usque epigastrium attollebatur; hoc morbi anno fuit illud superficie laeve, aequabile, marginibus lateralibus ac inferiori cristae ossis ilei ac pubis adclinatum, margine superiori cordato multum crasso rotundato praeditum, inque situ iacenti mobile. Anno morbi octavo idem parietem abdominalem adeo extendit, ut in umbilico hiatus maior, per quem inclinato antrorum trunko intestini tenuis portio sac-

pius prolapsa est (hernia umbilicalis) enasceretur. Catamenia inordinate comparentia summe dolorifica fuerunt. Medicina in hoc statu aegrae porrecta indicationibus casuisticis accommodata fuit. Anno morbi nono coepit uti anthrakokali, sub cuius usu volumen tuberis ad minus restringi videbatur, herpesque in limine capillitii frontali prorupit, ast mox disparuit. Vexabatur tandem pruritu nimio parietis abdominalis, hoc autem silente, eodem metacarpi manus dextrae, quin herpes manifeste propullulasset. Interim volumine tuberis decrescere continuante hernia umbilicalis disparuit, imo aegra musculos abdominis, qui omniam tensionem motus voluntarii incapaces erant, voluntarie movere coepit; tuber in situ iacente ad latus declive, imminutionis notabilis testimonio lapsum est, motum nec activum nec passivum impediens. Catamenia absque doloribus fluere continuerunt. Tali emendatione contenta aegra seposito anthrakokali post lapsum abhinc annorum duorum virum admisit, hocque tempore inflammatione tumoris correpta fuit, qua sublata tumor auctus non est, sed in eodem statu emendato usque hodiernum diem perseverat.

Praeter hucusque enumerata organa multa sunt, quae materia herpetica simplici aut complicata impetuntur, observationique eximia largiuntur specimina: verum iis, quae exposuimus scopo nos potitos autumamus, *si attentionem huic morbo maiorem conciliare potuimus*, adeoque reliquorum expositioni supersedendum esse censuimus.

XLVIII.

De natura herpetis.

Phaenomena, quibus herpes manifestus fit, omnia arguunt: nonnullorum hominum organismo certam, specifi-

cam, sanguini amicam, nisu in formationes organicas praeditam; adeoque vegetativae eius sphaerae adpertinentem, parasitorum organicorum more viventem, ideoque propria vita praeditam, universo organismo communem, influxibus cosmicis subiectam, innatam inesse materiam, quae in eodem usque sui naturae et artis adminiculo extinctionem plenariam constans perseverat, evolutionemque corporis omnem comitatur. Haec materies insuper supra (I) fatis characteribus insignita nobis herpetica audit.

Certam specificamque dixisse materiam herpeticam non est aliud, quam illam, quoad essentiam suam, ignotam profiteri. Reipsa quid hanc constitutam? indigitare, nisi phantasma rem venditemus, causam cum effectu confundamus, nobis concessum non est.

Quod materies herpetica sanguini amica et nisu in productiones organicas praedita sit, adeoque sphaerae organisi vegetativae adpertineat, oculis videtur. Ubi enim antea cutis omni respectu normalis exstitit, ibi in vasis sanguiferis vitae gradus altior insurgit, hinc illa imperio cordis minus subsunt, imo huic proprium quasi circulationis focum substituunt (= inflammatio). Notabilem hoc parasitum materiae secretae, excrementitiae quantitatem elicit, excernit (= crustae, pus, ichor), unde fit, ut nonnunquam praecipitato vitae cursu cito consumatur, et interitu suo aliorum quoque textuum interitum adducat (= ulcera). Omnis hic processus organicus morbosus aequo locum habet, ubi herpes organa interna (glandulas lymphaticas, pulmones etc.) adgreditur.

Materiam herpeticam nonnullorum hominum organismo innatam esse, universumque eum occupare argumentis sequentibus comprobare intendimus:

1. Quibus aetate tenera iifestus fuit morbus, illos adultos, imo senectuti proximos quoque requirit. — In quibus semel certo anni tempore certisque sub rerum adiun-

ctis in cute comparuit, in iisdem, similibus circumstantiis vigentibus saepe post plures (5—30) annos in cute denuo, taceo de signis anomalam eius sedem interim indicantibus, comparet.

2. Morbus adplicationi remediorum externorum non cedit. Mala quidem, quae produxit topica, usu pharmaco- rum topicorum sanari queunt, morbusque ipse recedens in organismo diutius innocuus latere potest; serius ocyus tam en vel ad sedem revertitur pristinam, vel focum novum eligit. Exempla vel ipsa ulcera pedum vetusta plurima largiuntur. Morbi itaque symptomata cutanea reflexum illius per universum organismum extensi constituant.

3. Morborum vegetationis ad proles mysteriis generationis transitum pathologia argumentis evicit.

Quod morbus vitae vegetativae proprius sit, indigitat: eius sedes, locum enim praecipue in cute, utpote organo maxime ad sphaeram vegetationis pertinente habet; nou secus decursus eius latus; sanatio duratione longa; remediorum vegetationem immutantium in eum effectus; denique nisus morbi in formationes organicas.

Materies herpetica parasitorum organicorum more vivit, adeoque propria vita praedita est. Si status morbosi ex legibus universis vitae organismi manantes ab eminentioribus pathologis pro propriis vitae modis habitu sint et habeantur: vita quoque vegetationis morbis specialis dengari haud potest. Est vero haec vita illi infimorum organismorum planetae, cuius incolae sumus, similis, ipsa tantum corporis humani conformatioe modificata, forma materiali certa in diversissimis hominibus typum suum primitivum constanter retinente praedita. Parasiticam illius indolem arguunt: praesentia in organismo vivo; eius faventibus rerum adjunctis incrementum, aut contra decrementum; humorum (quasi digestorum) consumtio et consumti excretio; favente constitutione aëris atmosphaericí nonnun-

quam per longam annorum seriem maior vigor, inque hominibus plurimis comparatio.

Itaque herpes organismus vivus est in organismo vivo.

Ea vero viget inter utrumque relatio, ut herpes humorum nutritiorum non parvam quantitatem consumat, inde duratione sua longiori statum adducat cachecticum. Dum autem organismus humanus morbo alio vegetationem omnem graviter feriente, exempli causa typho adfectus est, herpes videtur quasi consumi; in organismo enim omnis secundaria vegetatio ad sustentandam vitam communem convertitur. Inde fit, cur post morbos graves vegetationis omnes morbi dyscrasici silentium altum observent, et recuperato solum corporis vigore pristino evigilent.

Morbus hic influxibus cosmicis obtemperat; observamus id praesertim, ubi ille forma rheumatismi aegrum excruciat; hic enim mutationem quarumlibet tempestatis praeviis doloribus index est. Natura sua vegetativa tenuis praesertim cum mutationibus lunae relativis nexus esse observatur, etenim sub plenilunio consuetim maiorem materiae secernendae quantitatem largitur, tumque ulcera plerumque latiora fiunt, et circa ea in sanatione constituta per fissam epidermidem, aut vero sub eadem liquidum copia iam maiori, iam minori excernitur, colligitur. Ubi aeger calore aquabili fovetur vespere tamen in plagis herpete obsessis pruritus maior est. Herpes comparitionis ratione habita anni tempora—ver et autumnum, quum omnis zonae nostrae terraqueae organicorum vita certum induit characterem, praediligit. Certa quorundam annorum constitutio prout aliis morbis crebro producendis, ita et herpeti provocando proficia est, sic hyems nimis lenis et pluviosa anni 1833., aestas nimium calida et sicca et serena anni 1834. Partes quoque conflictui aëris atmosphaericí expositae, ut manus, facies, collum facilius aliis prehendi solent.

XLIX.

Aetiologya herpetis.

Herpes originem suam generationi debet. Transitum illius sive legitimi sive anomali a parentibus ad soboles experientia quotidiana annuit. Ea vero est huius propagationis ratio, ut datus physicis corporis parentum unius aut alterius dotes corporis physicae prolium respondeant, adeoque labem quandam iam a patre, iam a matre, si alteruter illa laboraverit, adquirant. Ea diversitate tenus, quae hoc momento observatur, vel filii matris, vel filiae patris, vel vice versa vitii participes fiunt; aut vero promiscue nonnulla individua masculina et feminea labe contaminantur, alia immunia manent; imo nepotes a parentibus obtutu sanis nati naevo avorum corripiuntur.

Dispositio ad morbum omnibus, quibus ille haereditate innatus est, inest quidem, ast in certis solum aetatis humanae cyclis, vegetationis negotio servidiori insignitis videtur maiorem adipisci vitalitatis gradum. Aetate infantili ob functionem cutis exaltatam, ob affluxum humorum maior copia ad caput, illam et praesertim huius integumenta communia glandulasque lymphaticas cuti subiectas adgreditur. In iuventute sanguine magnam partem ad pulmones converso organa respirationis utpote officinam sanguinis forma tussis chronicae, tuberculorum et inde sequentis phthisis adfligit. Aetate virili congestionibus sanguinis in venis organorum abdominis favente turbis variis digestionis, chylificationis, haemorrhoidibusque intestini recti ansam praebet. — Aetas senilis aequa ut infantilis ex lege naturae in diversis vitae polis phaenomena forma similia, natura dissimilia observantis, herpetis in cute comparitioni favet.

Causae aliae morbum generantes nullae existunt; quae inter producentes ab auctoribus memoratae sunt, ut immundities cutis, ciborum acrion abusus, vestimentorum

cutim irritantium usus etc., excitantes occasioales eatenus flunt, quatenus herpetem in organismo latente ad cutim provocare queunt.

Contagium herpeticum, id est tale, quod contactu aut inoculatione similem sibi morbum tempore incubationis praecedente gignat, non novimus. Herpes syphilide aut scabie complicatus, qua talis contactu alteri neutiquam communicatur, ast separatim scabies forma pustularum, syphilis forma cancri aut blennorrhoeae suscipitur.

Topica herpetis in organo quoipiam evolutio organo hoc vel praecedente aliquo morbo, vel iniuria quoipiam mechanica tentato, vel vita illius exaltata, aut quacunque ratione immutata sequitur. Hac ratione fit, ut cutis plaga, cui epispasticum adpositum fuit, vel ubi illa quocunque modo laesa est, herpete corripiatur.

L.

Herpes simplex latissime, complicatus vero latius, quam vulgo aestimari potest, per gentem humanam diffusus est; non solum enim certis familiis sporadicus inest, verum certis quoque regionibus endemius adstrictus esse observatur.

Morbus endemius, qui nomine mali Scherlievo oras maritimas Illyriae, Croatiae ac Dalmatiae hucusque tenet, nihil est aliud iuxta observationes nostras herpete scabido, aut scabido syphilitico. Et ille idem cum morbo, qui nomine Dithmarsici a mari baltico continentem versus extendi minatur, iuxta descriptionem cel. Doctoris Dührssen *) omnino congruit. Nec desideratur in Hungaria, Moravia, Bohemia, Gallizia, Silesia, Austria, Germania; aegros enim in his terris natos et eodem morbo adfectos in nosocomio filiali sat magno numero tractasse nobis contigit.

Gentem sarmaticam huic morbo subiectam crebro obser-

*) In Pfaff's Mittheilungen etc. I. Bd.

vavi, nec opinor alium quemque morbum plicae polonorum esse fontem.

LI.

Diagnosis herpetis.

Morbi herpetici legitimi agnitus e symptomatibus, quae cutis exhibet, facillima, anomali longe difficilior est.

In diagnosi herpetis legitimi simplicis aut complicatis, quam superius expositam hic resumimus, attendendum est:

1. Ad figuram efflorescentiae. Hanc ponit plaga quaecunque extensionis pustula una maioris ulti serpens, e papulis, nodulis, vesiculis, pustulis aut ulceribus glandulas cutaneas, pilorum bulbos ac vaginas cryptasque sebaceas obsidentibus composita.

2. Ad colorem plagae affectae. Color roseus herpeti simplici convenit; cinnabarinus scabiei est proprius; purpureus et lividus syphilidem notat; carmineus, cupreus, magis minusve bruneus scabiei et syphilidis invicem unitarum index est.

3. Ad locum plagae herpeticae. Herpes simplex, exceptis locis scabiei et syphilidi propriis, reliqua sine discrimine impetrat. Cum scabie complicatus manus, digitos, flexuram cubiti, poplitem abdomenque prae ceteris diligit; syphilidi iunctus genitalium ambitum, nates, frontem cruraque adgreditur.

4. Ad odorem. Odor gravis herpeti scabido est proprius.

5. Ad stratorum cutis statum, secretique morbidi habitum, unde genera et species herpetis statuuntur (vide Praemissa 6.).

Ubi de herpete sublatente dubium obversatur, aut morbus quidam vegetativus illius sublatentis suspicionem graviorem movet, diagnosin faciliorem reddunt momenta sequentia:

1. Herpes parentum, fratrum aut sororum manifestus.
2. Herpes ipsorum aegrorum quondam legitimus.
3. Crebrior urticariae sive partialis sive universalis comparatio.
4. Mutationes coenaesthesiae partis cuiusdam organis-
mi ingruente mutatione atmosphaerae. Huc pertinet pru-
ritus quoque membra alicuius, imprimis dorsi et surarum
vespertinus.
5. Subita morbi cuiusdam e certo loco disparitio, in
alio comparitio.

6. Morbi per morbum alium excretorium, id est ta-
lem, qui materiam morbosam praeparat et continuo secer-
nit, solutio.

Ex his in genere dyscrasiam quandam vegetationis —, in specie illam herpetis divinari quidem licet; ast complicaciones illius erui difficilius possunt. Quod tamen scabidum aut syphiliticum attinet illius connubium sollicite inquirendum utrum aegro adfuitne occasio virus unius aut alterius dyscrasiae quondam suscipiendi. Iam pro evolvenda scabie sufficit, si data occasione pustularum loco urticaria solum comparuerit. Pro evolvenda syphilide blennorrhœa, blennorrhœa coitu adquisita; huius enim mali cura dyscrasica raro suscipitur, vulgata nam est plurimorum medicorum opinio hunc morbum esse inflammationem solis notis inflammationis generalibus praeditam. Videndum porro utrum adsint in corpore vestigia morborum cutis dyscrasicorum quondam perpessorum. Vestigia haec loco, colore figuraque in diversis dyscrasiis ab invicem differunt. Sic si externam brachiorum faciem, flexuram cubiti internam, poplitem, femorum superficiem internam, abdomenque occupaverant —, coloris flavi aut brunescens sint: tum iu-
stam latentis dyscrasiae scabidae movent suspicionem. Si frontem, regionem mammarum, nates, genitalia tenebant,

colorisque lividi sint aut atro-coerulei: syphilitem arguant. Si in omnibus partibus dictis occurrant, coloreque cupreo, livescenti-bruneo notentur: et syphilitis et scabiei unionem indigitant. — Cicatrices ab ulceribus residuac praesertim in peripheria diversis his coloribus insignitae reperiuntur.

Casus. Susceptus est anno 1834. in nosocomium filiale iuvenis N. N., annorum 19, robustissimus, qui praeter febrim intermittentem et condylomata radicis femoris ac perinaei (penis nulla) nullo se unquam morbo laborasse affirmavit. Quum ad condylomata lata sulphatem cupri applicuisset, iis evanidis rubore circumscripto plagae thoracis, quam musculus pectoralis maior occupat, in abscessum abeunte affectus est. Abscessu insignem puris quantitatem continentem per tria foramina enata evacuato, exiguoque rubore circumscripto marginibus laceris praedito remanente arduum fuit ferre de natura morbi iudicium; morbo enim syphilitico blennorrhoco (seu condylomatico) proprium non est formare abscessus. Iuvit in hoc casu inspectio ipsius loci condylomatibus affecti, qui herpetem genitalium obtulit; insuper in margine abscessus thoracis ad axillam sito herpes ulcerosus scabidus exiguae extensionis detectus est; abscessus infra cutim aspectu sanam antrum efformavit latius extensem, e quo cum pure laciniae textus cellulosi excedebant. Ex his signis conclusimus adsuisse herpetem erysipelaceum scabido-syphiliticum, et abscessum hanc dyscrasiam produxisse.

2. Vir annorum circiter 45 ingentibus capitis doloribus correptus, iis epithema frigidum opposuit. Dolores repente capite derelicto pedem dextrum impetiere, eodem modo et hoc loco aquae frigidae cedentes et antibrachium manumque dextram obsidentes. Hic color cutis mox in coeruleo-nigrum est mutatus, quo sub fomentis calidis siccis disparente sub cuti tubercula magnitudine diversa enata

sunt, simul color ruber cum dolore pruriens priori successit, et sensim herpetis scabidi ulcerosi induit formam. Tubercula vero herpetis erysipelacei scabidi erant progenies. Neglectum in hoc casu morbum caries ossium carpi manus, omniumque partium solido-mollium in masam gelatinosam conversio, hanc denique iactura antibrachii sequuta sunt.

LII.

Prognosis herpetis.

Herpes diverso respectu diversam promittit prognosin.

Respectu complicationis: legitimus simplex, donec ad minorem et ab organis sensuum remotam restringitur cutis plagam, periculo caret. Complicatus in genere quum textui solido-molli ossibusque infestus sit, strages consuetim funestas parat; in specie cum scabie aut syphilide singillatim complicatus facilius, cum utroque difficilior sanatur; complicatio leprosa, erysipelacea, carcinomatica, si singularis sit, curae diu resistit; si plurim, ut scabiei, syphilidis et erysipelatis lepraeque, aut scabiei et carcinomatis, et sic porro, curatu difficultima esse solet. — Herpes anomalous non solum sanitati, sed etiam vitae, desorganisationes liquationesque producendo, struit insidias.

Respectu formarum morbi: Herpes vesiculatus sanationem omnium facilime, papulosus et nodulatus aegre, pustulosus aegrius, ulcerosus aegerrime admittit.

Respectu aetatis et individualitatis aegri: Si ille annos evolutionis organismi transgressus non sit, si systematis cutanei valore normali praeditus sit: spem sanationis facilitioris non est cur non faciat medicus. Si ille aetatem virilem attigit, cutique multum atoniae insit, si ille involutionis organismi periodum ingressus sit: prognosis quo-

ad tempus sanationis et sanationem ipsam ambigua statuenda venit.

Tempus, quo cura radicalis herpetis absolvī potest, a duobus mensibus usque annum unum aut annos duos prolongari solet.

Interim notandum est herpetem saepe et maxime extensum remediis paucissimis, saepe solis lotionibus specie sanari, praesertim ubi anni metamorphosis organismi ingruunt. Videtur in tali casu materies herpetica se ipsam exhausisse, quae ubi vires recollegit, tanto maiori cum impetu surgere consuevit; remediis enim aliis, non specificis sanatus herpes simplex et complicatus, quamvis furca expellatur, tamen usque redire solet.

LIII.

Therapeutica.

Nullus fere non solum ab aegris, imo a multis quoque medicis herpete vilior aestimatur morbus. Illis praeter quod pruritu quietem, aut diurnitate incuriam, aut fors loco, quem occupat, venustatem offendat (etsi ille cessantibus morbi cuiusdam interni symptomatibus ominosis enatus sit), nullis stipatus malis, insons esse autumatur. Horum —, remediis externis, quae exsiccantia audiunt, in usum tractis, — omnis in id convertitur intentio, ut morbus e cuti quo ocyus pellatur, quod dum factum est sanatio morbi perfecta esse contenditur.

Iam vero ipsa morbi hic vel illic comparitio nova non sanationem, ast potius recessum contigisse indigitat. Eo non obstante eiusmodi sanatio revertente herpete legitimō, denuo iisdem perficitur mediis. Si vero haec malo nunc opitulari recusent, ratiocinii locum admiratio et aliorum mediorum tentamen supplere solet. Fit nonnunquam, ut aegri mentis sanioris morbi saepius revertentis pertaesī phar-

maca, ut vocant, sanguinem depurantia expetant, et hac ratione ingenii medici vices agant.

Nos huic multorum medicorum quotidianorum agendi modo observationes medicorum egregiorum omnis aevi opponimus.

LIV.

Ut principia, quibus herpetis et complicatarum cum eo dyscrasiarum sanationis rationem superstruimus, intellectu faciliora reddamus: theoriam sanationis morborum et universalium et specialium breviter exponere utile esse opinamur, hocque sic ordimur:

*Natura ipsa sui medicatrix morbos, excitata in organismo in res eius integritati infestas reactione, sanare consuevit *).*

Reactio haec in exaltata aut singulorum organorum — *reactio partialis* seu *topica* —, aut plurium simul systematum — *reactio universalis* — vita radicatur.

Reactio et partialis et universalis, quae, ubi iniuriae integratati organismi infensae hunc adficiunt, tum exsurgit, nobis *primaria* vocatur; ubi vero illam detrimentum quoddam, quod iniuriis illis organismo illatum est, resarcendi ergo suscitat, *secundaria* audit.

Reactio partialis primaria multorum quidem malorum medicatrix reperitur, e. g. in vulneribus inflictis inflammatio topica; aliorum tamen saepe nisum solum mendendi constituit, e. g. inflammatio cutis seu area rubra efflorescentiarum cutis chronicarum. — *Reactio partialis secundaria* vel nil aliud, quam restitutionem deficientis

*) Medici, qui hanc naturae virtutem negant, illam in operibus suis nunquam observarunt. Medicus certe non aliter, quam addendo, demendo, regendo in naturae sanandi morbos conamine eidem consulere valet.

aequilibrii functionis organorum occptam indigit; vel detimento partis cuiusdam organismi limites ultro extendenti obicem ponere conatur, e. g. rubor partis alicuius post consolidata vulnera; rubor in plagis quondam congelatis annue revertens^o). — Utraque reactionis diversitas sensum coenaestheseos mutatum socium agnoscit.

Reactio universalis primaria ex conamine universi organismi morbum tollendi ortum dicit, morbique sufferendi capax est, e. g. in febri variolosa. *Reactio universalis secundaria* ultimum plerumque naturae medicatricis cum morbo conflictum, sed debilem insufficientemque efficit, e. g. febris hectica phthisis pulmonum comes. — Uterque hic reactionis modus semper febri fit manifestus.

Reactio universalis primaria partiali iuncta ideam naturae medicatricis pulcherrime ob oculos-sistens morbis perfecte mederi solet. *Reactio universalis secundaria partiali iuncta* vis naturae medicatricis aequa effectus sanationi rarius opitulatur, creberrime perniciem potius organismo infert.

Dignitas reactionis universalis prae partiali longe maior est.

LV.

Itaque ut morbi sanentur reactio in organismo illis sanandis pur excitetur necesse est. Haec tamen in salutem eius haud semper evigilat, quod a natura iniuriarum organismum adficientium pendet. E serie harum aliquae sunt, quae vi specifica gaudentes organismo familiares fiunt, intimeque ei universo iunctae natura sua reactionem solum partialem excitant; hinc morbos chronicos specificos generant, quibus sanandis reactio tum primaria

^o) Huc referri debent omnes *inflammationes* sic dictae *pассивae*.

universalis, tum partialis specifica opponenda foret. Quod organismi viribus sponte non fieri tristis docet experientia. Exempli causa: Scabies ubi primum suscipitur in organismum, morbos topicus est, ast tum nullum eius praesens est vestigium. Dum pustulae cum pruritu enascuntur, tum iam morbi universus particeps est organismus, qui reactionis universalis in morbum tollendum suscitandae impar esse deprehenditur. Sic aliae dyscrasiae.

Arte ergo his malis succurendum est. Unde sequitur: omne medici in sanandis his morbis opus in suscitatione reactionis organismi universalis, morbo tollendo paris, esse possum. Hoc itaque opus non tantum reactionis eiusmodi suscitationem, ast simul materiae quoque specificae morbum sustentantis extinctionem exigit.

LVI.

E morbis universalibus reactione partiali comitatis respectu therapeutico maxime noti sunt: Scabies et syphilis. Quum phaenomena sub cura horum obvenientia veritatem superius dictorum comprobent, exempli causa his utendum duxi.

In genere scabies contagio suscepta remediis topicis, quorum effectus ad cutim solum restrictus manet, sanari nusquam valet; imo serius aut oxyus sub formis anomalis vel in cute comparet, vel desorganisationibus partium internarum mortem infert praematuram. Item de syphilide notandum est. In utrumque morbum remedia possidemus specifica, et quidem in priorem sulphur, in posteriorem hydrargyrum. Utrumque remedium rite exhibitum reactionem specificam topicam et universalem excitat, materiam morbificam extinguit, ideo morbo perfecte medetur.

In specie scabies sub usu sulphuris initio laetior efflorescit, maiorem humoris morbidi copiam excernit, pru-

ritu diuturniori molestus fit, *reactionis partialis signo*. Usu eiusdem pharmaci diutius protracto cutis fit siccior, pustulae sensim exarescunt, sensibilitas cutis erga atmosphaeram augetur, appetitus hallucinationes cum pulsu pleno frequenti, languore musculari, horripilationum hinc inde, praesertim vesperi intercurrentium, nec non punctionum cutis crebrarum sensu comparent. Perspirabile cutaneum odorem sulphureum spargit. *Huius reactionis universalis* iuxta receptivitatem individualem aegri a languore simplici usque febrim validam diversa est intensitas. Et quemadmodum sub vaccinac inoculatione extinctionem receptivitatis in variolam naturalem, ita etiam sub usu sulphuris scabiei *sanationem perfectam reactionis gradus indicat*.

In syphilide primaria actio hydrargyri initio ulceris rubore maiori, sensibilitate, dolore, fundi eius elatione, peripheriae illius dilatatione —; serius cutis sensibilitate, vasorum et glandularum lymphaticarum functione exaltata, desfatigatione facili, nec non pulsu irritato fit manifesta. In syphilide secundaria universalis phaenomena usum inductionis unguenti hydrargyri cinerei comitantia, iam sat trita, adeoque a nobis silentio praetereunda sunt. Ea modum reactionis organismi remedio specifico excitatae in morbum per se reactione sufficienti carentem pulcherrime ob oculos sistunt. Methodi aliae exhibendi hydrargyrum in syphilidem tam eminenti reactione nunquam stipantur.

LVII.

Morbis his, quatenus vegetativi sunt, quoad multa phaenomena herpes analogus esse observatur, qui tamen essentia sua, quemadmodum priores inter se, ad eundem modum a singulo differt. Itaque nec remedia in illis specifica huic quidquam essentialiter, id est materiam eius extinguendo, conferunt.

LVIII.

In herpetem, qua morbum vegetativum, omnia remedia, quae vegetationem organismi sive directe sive indirecte adficiunt, efficacia non destituuntur; etenim omnis morbus specificus *), etsi natura sua proprius, universalibus naturae legibus semper subest; ast actione remediorum virtutem suam iuxta leges illas universales exserentium partim solum temperatur. Quod cum verum sit, mirum non est, cur plurima in hunc morbum pharmaca hucusque proposita sint, et hodieum proponantur **).

*) Necesse est morbos specificos, ad sanationem sui media specifica exigentes admittere, scrutari. Nunc schola medica nova Hahnemannii *κατ' ξηθον*, sed vere, psorica dicta omnes morbos specificos esse, omnesque specificum remedium possere falso contendit. Medici rationales ambitum morborum specificorum iusto magis *restrinxerunt*; remediis specificis vix ullis utuntur. Optandum itaque est, ut notio morborum notam specificam arguentium ad culmen illud relativum experientiae humanae, quo morborum generali nota praeditorum notio devecta est, deducatur, et remedia illis sanandis tam certa et exacta, prout ea morborum universalium sunt, designentur.

**) Commendata utiliaque in herpetis sanatione reperta sunt interne adhibenda: sulphur (script. nosogr.); sulphuretum kali,— ac sodae hydrosulphuratum (Chaussier). Antimonium crudum plenumque sulphuri iunctum (script. nosogr.); calx antimonii sulphurata (Hufeland); tartarus emeticus (Fages); sulphur auratum antimonii. Mercurius in genere (Vogel); aethiops mineralis dosi pedentim aucta (Dzondi, Kopp); mercurius praecipitatus ruber cum aethiope antimoniali; mercurius acetatus (Hufeland); turpethum minerale (Alibert); nitras hydrargyri (Godard). Aurum; murias auri natronatus (Eberle, Rayer). Liquor cupri ammoniato-muriaticus (Kochlin). Praeparata ferri (Rayer). Oxymurias kali (Chisholm). Alumen in decocto sarsaparillae (Hufeland). Graphites (Weinhold).

Acidum muriaticum (Jugler, Evers). Acidum sulphuricum (Home). Acidum nitricum (Chisholm, J. Frank). Acidum malicum (Mellin). Aquae minerales sulphureae, — salinae.

Carbonum decoctum (Busch).

Antequam remedium a nobis inventum describamus, illa, quibus in herpetem experimenta instituimus praemittenda, et observationes respectu eorum factas generatim commemorandas censemus.

Belladonnae foliorum pulvis (Theden, Schack). Extractum cicutae (Valentin); pulsatillae nigricantis (A. G. Richter); stipitum dulcamarae; rhois toxicodendri (Dufresnoy), huiusque infusum (Eltz). Daphnae species (Loiseleur Deslongchamps). Solanum nigrum (Alibert, Eberle). Radix madar. Eupatorii perfoliat summitates (Barton). Inulae helenii radix. Violae tricoloris herba, scabiosaeque arvensis. Orobanche virginiana; iuniperi communis radix. Herba trifolii fibrini, — fumariae, — saponariae officinalis, phyllidis amarae (Kranichfeld). Ulmi campestris cortex.

Cantharidum tinctura.

Externe adhibenda: Solutio barytis muriaticae (Arnemann); — mercurii sublimati corrosivi (Schöpf, Baur); — aeruginis cupri; — sulphureti kali; — calcis etc. Solutio boracis (Callisen); — chloratis calcis; — saponis (Clarké). Aqua calcis (Bateman, Blane). Aqua frigida (Rayer).

Balneum e solutione mercurii sublimati corrosivi cum sale ammoniaco (Baur); — muriatis sodae. Balneum maritimum (Lanzoni).

Arsenicum album cum tartaro emetico (Emmers). Manganum nigrum.

Succus citri (Schindler, Rodschied). Acetum (J. Frank).

Acidum hydrocyanicum alcohole dilutum (Schneider).

Sapo ex olei cocos nuciferae et soda paratus (Abich); — ex aqua calcis cum oleo amygdalarum dulcium; — ex oxymuriate calcis cum oleo olivarum (Kopp).

Unguentum ex acido oxymuriatico et succo cardui benedicti (Mellin); — ex acido muriatico et oleo (Neumann); — ex acido nitrico (Leschen); — e floribus zinci; — sulphure; — graphite; — hydrargyro; — tartaro emetico; — iodo; — tinctura cantharidum.

Oleum nucum iuglandum recenter pressum (Hufeland).

Oleum animale Dippelii (Alibert).

Ceratum calaminae; — nicotianae tabaci (Vogel).

Decoctum ulmi campestris (Coste et Willemet); — cassiae specierum (Freer); — corticum nucum iuglandis viridium.

Infusum sassafras (Sachse); — ledi palustris (Schöpf).

LIX.

Sulphur.

Sulphuris actio primitiva generatim ad systema vasorum haematophororum, speciatim capillarium et venae portae, systemate vasorum lymphaticorum maximam partem neglecto, restricta est. Radicatur haec actio in expansione massae sanguinis, unde calor fugax orgasmusque, nec non perspirabilis cutanei auctio, et cuiuscunque morbi cutanei chronicci efflorescentia vividior oriuntur. Orgasmus saepe in haemoptysin augetur. Excitata systematis cutanei externi vita, quod vel in incremento pilorum laetiori observatur, per antagonismi leges illam interni minus sollicitat; hinc obstructionibus alvi favet, errorem dein ipsum corrigit. In massam humorum digestione mediante facile; inflictione vero forma pulveris in partes vasis absorbentibus abundantes faciliter suscipitur; quam facultatem et aliis corporibus metallicis, utpote assimilationem per se recusantibus communicat. Propter has qualitates in herpetis tractamine usus non exigui deprehenditur.

Herpetem quidem, quum materiam herpeticam extinguere non possit, nunquam sanat; ast anomalum ad cutim

Pulpa ex herba achilleae millefolii.

Cataplasma ex treba japan (Hufeland, Löwenstein).

Inpersio e pulvere carbonum; — cicutae, hyoscyami, solani nigri etc.

Fonticuli. Exstirpatio.

Fumigatio cum cinnabari artificiali (plebis hungaricae).. Accedit diaeta maxime restricta, scilicet e decocto prunorum et pane sine fermento parato constans.

Diabetica: Esus iusculorum lacertarum.

Remedia haec interna et externa simplicia varie inter se iunguntur, unde plurimae formulae medicinales in herpetem in usu sunt, harum tamen enumerationi supersedemus.

derivando legitimum —, cum scabie complicatum, hac praevie sanata, simplicem reddit. Herpes itaque scabidus sulphure curatus partim solum, quatenus complicatione sua orbatur, sanari potest.

Sub usu illius herpetis plagae extensione augentur, magis rubent, pruriunt, materiae morbosae plus secernunt; serius pristinis plagiis novae maiori copia accedunt, ast brevi solum tempore florent, mox evanescunt; ubi hoc factum est et plagae pristinae pallescere minusque secernere cernuntur, denique reapse disparent; ast sulphure e corpore eliso ad aliquem locum denuo revertuntur.

Hoc remedium in scabie exhibitum excitata reactione universalis ac topica scabiei sanandae pari, illam perfecte sanando, eius specificum merito habetur.

LX.

Antimonium.

Antimonii virtus primitiva fere ad vasa capillaria systematis cutanei et externi et interni restricta est, cuius secretionem, simul et pilorum incrementum sollicitat. Peculiare est, quod in his secretionibus, quae mucosae sunt, nulla fere vasorum maiorum energia conspicua observari possit. Digestione in circulum humorum sulphure difficilius recipitur, illam facile laedit ac idcirco ipsum sibi ultro agendi vim adimit.

Sub usu huius plagae herpeticae initio laetius florent, tandem vigorem amittendo pallescere incipiunt; sed nisi cachexia medicinali inducta non disparent, imo saepe in foeda mutantur ulcera. Materiam itaque herpeticam sufferre nequit.

Dum a nobis in herpete leproso adhiberetur, dyscrasiam leprosam extinxisse observatum est; ideo qua leprae specificum a nobis hucusque adhibitum est.

LXI.

Hydrargyrus.

Hic primitus systema vasorum lymphaticorum, secundario autem modo vasorum sanguiferorum adficit. Usu eius crebro cutis tenerrima fieri observatur.

Efficacia illius in herpetem respectu oxydorum diversa deprehenditur. Oxyda scilicet imperfecta lente, et facta solum supersaturatione corporis plagarum herpeticarum exsiccationem inducunt. Oxyda perfecta, e quibus sublimatus corrosivus et praecipitatus ruber, citius effectum optatum exhibent. Utriusque generis oxyda, quum plagae herpeticae seposito pharmaco reviviscant, curam herpetis radicalem perficere non possunt.

Hydrargyrus syphilidis et cancrosae et blennorrhoeae specificum^o) est remedium.

LXII.

Iodium.

Iodii efficacia tam in systemate vasorum haematophororum quam lymphaticorum, praesertim capillarium, conspicua est. Usu eius protracto in cavo oris ulceræ sanguinem manantia nonnunquam oriuntur.

Sub adhibitione illius herpes sensim evanescit, emori videtur, sed breviori aut longiori tempore, usu eius suspenso, denuo reviviscit.

Magna gaudet virtute in casibus, ubi dyscrasia carcinomatrica detegitur. Casus tamen hi a me observati pau-

^o) Hoc remedium saepius contra latentem dyscrasiam syphiliticam ordinatur, ubi certo non semper syphilis morbi causa est. Effectus salutaris remedii fallit; etenim in tali casu virtutem generalem, mercurio in omnem morbum vegetativum, hunc mutando, convenientem exhibuit.

ciores fuerunt, quam quibus innixus remedium hoc carcinomatis specificum proponere possem.

LXIII.

Manganum.

Manganum nigrum et murias mangani longiori tempore aegris herpeticis exhibita sunt; ast nullam virtutem specificam exseruisse reperta sunt.

LXIV.

Graphites.

Graphites in herpete sanando remedium prioribus longe efficacius reperitur; ast nec hic omnibus respondet numeris; pro se enim exhibitus reactione nec topica nec universali eminentiori in gradu pollet, nec facile assimilatione mediante in circulum humorum suscipitur. Si parvis porrigitur dosibus curatio diuturnum exigit tempus; si magnis, tum sere immutatus per alvum excedit. Nec aliter quam omnino sana ventriculi functione exhiberi potest.

Propter haec eius vitia usum illus alia pharmaca, in specie sulphurica, praecedere debent. In hoc casu sulphurica reactionem organismi universalem suscitant, et ubi haec visibilis fit, graphites ad reactionem ultro sustentandam et ad materiam herpeticam eliminandam exhibeat oportet.

LXV.

Carbone artificiales.

Carbonum diversorum et vegetabilium et animalium in herpetem effectus illi graphitis similis est. Nec vitiorum quoque huius respectu usus immunes sunt, imo cum digestioni pertinaciter resistant, facile alyum crebriorem movent et hac ratione exhibitioni ulteriori obstaculo sunt.

Experimenta capta sunt cum carbone vegetabili consueto, — e viti vinifera, — e pilis ustis, — e cornubus, — e carne parato.

LXVI.

Lithanthrax.

Huius seriei pharmacon et lithanthrax censendus est; imo tam graphite quam carbonibus artificialibus praestantior repertus est, quod

- 1, in herpetem reactione partiali sufficienti praeditus sit;
- 2, sanationem reliquis carbonaceis breviori tempore perficiat;
- 3, digestioni, etsi longiori tempore sumtus, nullam inferat labem.

Deest tamen huic remedio per se reactionem universalem suscitandi virtus; ideo, dum hoc uteremur remedio, frusta sulphure nativo inducta seligi curavimus.

LXVII.

Vegetabilia acria narcotica.

Vegetabilia principio acri-narcotico praedita, utpote quae in cutim specifice agunt, in herpetem quoque effectum conspicuum exserunt. Sub horum usu plagae herpeticae initio lactius florent, dein pallidiores evadunt, ast quanta-cunque quantitate absumantur, materiam herpeticam non extinguunt.

LXVIII.

Vegetabilia amara.

Horum virtus in herpetem non est exigua. Quatenus digestioni opitulantur haematogenes inque impellunt, his mediantibus vegetationem organismi immutant. Effectus eorum salutaris tantum eo tempore durat, quo mutatio illis

inducta absoluta est, et hoc tempore elapso herpes eo maiori vi aut cutim, aut organa alia, speciatim vasa sanguifera impedit, et facile varicibus intestinalium ansam praebet.

LXIX.

Vegetabilia vulgo sanguinem purificantia dicta.

Haec iam pridem laudata sua in vegetationem actione faustissima reliquis vegetabilibus scopo herpeticam dyscrasiam sanandi exhibitis antecellunt virtute, quam utpote communiter notam hic solum commemorasse sufficiat.

E serie horum vegetabilium sunt: Radix sarsaparilae, — astragali exscapi, — caricis arenariae, — bardanae, — chinae nodosae; lignum guajaci, — sassafras etc.

Maxima horum virtus in curatione herpetis scabidosyphilitici blennorrhoeici est conspicua.

LXX.

Remediorum hic enumeratorum virtus in herpetem intra spatum duorum annorum experimentis subiecta fuit. Durantibus his experimentis enata est theoria sanationis morborum vegetationis superius breviter exposita (LIV. LV.). Huic haud diffitemur considerationem sanationis per inunctiones unguenti hydrargyri cinerei in syphilide ansam primum dedissemus.

Quum enumerata remedia in herpetem simplicem et complicatum adhibuissemus, et his remedii illius tantum complicationes^{*)} sustulissemus, ipse itaque herpes in omni

^{*)} Idea de complicationibus herpetis inde enata est, quod vidimus certam herpetis formam, adhibito exempli causa sulphure, mutatam fuisse, seriusque disparuisse; sed revertente malo eodem formam suam proxime sulphure mutatam retinuisse. Hinc collegerimus aliquid priori morbi formae post usum sulphuris decessisse.

casu sanandus restaret: eum methodo aliqua composita, qua reactio et universalis et specialis suscitarri posset, sanare posse putuvimus.

Hoc tempore methodus nostra herpetem sanandi haec fuit: Sulphur et sulphur auratum antimonii exhibita sunt usque dum reactio universalis (e perspirabilis cutanei odore hydrothionico et motibus pulsuum validioribus praesertim intelligenda) secuta est. Tum remedium aliud, scilicet vel graphites vel lithanthrax usque dum plague herpeticae exaruerint, adhibitum est.

Quum haec methodus longum quamvis exigens tempus, votis tamen non omnino responderet, et lithanthrax nobis maxime arrideret: ad effectum optatum obtinendum solubilitatem eius augendam suffecturam existimavimus. Hinc enata est idea praeparati novi, lithanthracis scilicet in kali caustico soluti. Hoc praeparato quidem non aliud assequi intendimus, quam solubilitatem, adeoque virtutem carbonis nativi augere; ast adhibitum remedium spem de eo praevie conceptam superavit; requisitis enim theoriae sanationis omnibus sub experimentis cum eo captis exacte respondit.

LXXI.

Anthrakokali paratio.

Anthrakokali, cuius nomen e vocabulis ἄνθραξ (carbo) et *kali* compositum, est solutio lithanthracis in kali caustico.

In similibus tandem casibus denuo sulphur exhibuimus, et quod prius observavimus, nunc comprobatum esse reperimus. Quum tandem sulphur scabiei specificum esse putaremus: in casibus scabiei purae ad evincendam specificam eius virtutem nil, nisi illud interne ordinavimus, et re comprobata statuimus: in certa illa herpetis forma, sulphure solo non sanata dyscrasiam scabidam fuisse extinctam.

Similibus experimentis et reliquas herpetis complicationes subiecimus.

Duplex praeparatum, scilicet: *Anthrakokali simplex* et *sulphuratum* in usu sunt.

Pro horum paratione requiruntur:

1. Lithanthrax niger alcoholisatus. Optimus est, qui Quinqueecclesiis (Pécs, Fünfkirchen) Comitatus Baranyensis oppido effoditur.
2. Calx extincta seu hydrata.
3. Kali carbonicum; et quidem utrumque horum (2.) pro parando kali caustico.
- (4. Flores sulphuris loti).

Anthrakokali simplex paratur sequenti modo: Kali carbonicum solvitur in 10—12 partibus aquae ferventis; solutioni ebullienti additur successive calcis hydratae ea quantitas, quae sufficit ad subtrahendum a kali acidum carbonicum, quod dum factum est, liquidum obtentum nec acido quodam instillato effervescit, nec aqua calcis addita turbatur. Liquidum hoc citissime colatum ignique admotum in vase ferreo cito eo usque evaporationi committitur, donec non amplius spumescat, sed fusum instar olei superficie aequabili fluat. Tum kali caustici parati unciis septem sub continua tritura admisceantur lithanthracis in pulverem alcoholisatum acti unciae quinque, et vase ab igne remoto teratur porro quoque praeparatum pistillo calefacto, donec in pulverem nigrum aequabilem mutetur. Pulvis obtentus in lagenas vitreas calefactas unius unciae capaces recondatur et servetur loco sicco pro usibus.

Lithanthracis alcoholisati unciis quinque florum sulphuris lotorum uncia semis addita, hisque in pulverem aequabilem mixtis et fluenti instar olei lixivae causticae adiectis, retenta reliqua praeparati simplicis tractatione, paratur *Anthrakokali sulphuratum*.

LXXII.

Characteres physici anthrakokali.

Anthrakokali pulvis est niger tenerrimus, inquinans, saporis subalkalini, acris, in lingua sensum unctionis excitans; odoris simplex nullius vel fuliginosi, — sulphuratum hydrothionici; atmosphaerae expositus madet, non liquescit, in aere sicco humore, quem attraxit, iterum et sapore quoque alcalino orbatur; humore attracto pulveris particulae invicem cohaerent.

Alcohole minima quantitate solvitur. Solutio anthrakokali simplicis aquosa*), quae sine mutatione temperaturae contingit, frigide parata tam recentissima, quam ea plurium dierum aeri exposita, filtrata est coloris profundi bruneo-nigrescentis seu fusco-nigri, in vase gracili luci obversa transparens, haud in ampliori, licet limpida. — Color solutionis anthrakokali sulphurati est fusco-nigrescenti-virescens. — Solutionis utriusque sapor mitis est.

Super tabula vitrea quantitas eius exigua expansa est coloris dilute fusci, pellucida, limpida; additis acidis mineralibus mox flocci nigri pulverulentii (carbonis antea in

*) Character maxime obvius praeparati genuini est: *fuscellima eius maximum partem in aqua destillata solutio*; in hunc finem granis circiter 5—10 adfundatur uncia semis — una aquae destillatae simplicis; qualem nunc recipit colorem bruneo-nigrescentem miscela, haec eum retinere debet; si enim pulvere subsidente miscela clarius evasit, praeparatum malum habeto. Hic color profundus niger et filtrata solutione constans sit oportet.

Si anthrakokali charactere hoc destituatur, causa vel in lithantrace vel in modo parandi quaerenda est. Erant hic aliqui pharmaceutarum, qui kali causticum venale fundendo et lithantracem pulverisatum addendo praeparatum expediverunt pessimum; vel qui kali causticum rite parantes lithantracem quemque obvium sine selectu addiderunt. Paratio in neutro successit casu; imo effectus praeparati mali in tumoribus glandularum lymphaticarum semper sinister observatus est, hi enim resolvendi et ope praeparati genuini facile resolubiles in suppurationem abiverunt.

* kali caustico soluti) separantur, sensimque coëuntes mole augentur.

In altiori temperatura super balneo arenae non mutatur.

Chartas exploratorias consuetas adficit uti kali causticum liberum.

Cum acidis parum effervescit exiguae emittens bullas.

Sedimentum carbonaceum a solutione aquosa residuum est coloris nigerrimi, saporis nullius.

Pulvere anthrakokali simplicis alcoholi admixto, eique flamma admota sub conbustione in fundo vasis color flammeæ kobaltinus apparuit; sub finem combustionis scintillæ crepitantes cernebantur. Alcohole flamma consumta remansit kali et lithanthrax.

LXXIII.

Actio anthrakokali in organismum in genere, in herpetem in specie.

Homo sanus penes diaetam e iusculo ter per diem sumto constantem — absumsit intra decem horarum spatium grana decem. Quorum usum secutus est orgasmus notabilis cum ardore cutis, pulsu incitato ac lassitudine artuum. Noctu in tempore lecti sudore nimio comparente orgasmus et ardor cutis remiserunt. Mane continuante sudore, nunc viscido, alvi evacuationes binae nigrescentes sunt subsequatae. Mador cutis adhuc duabus diebus fuit continuus. Atque haec erant symptomata remedio producta maxime conspicua.

Aegris efflorescentia cutis chronica, sed sana ventriculi functione praeditis remedium sequenti sub forma est exhibitum :

Rec. Anthrakokali simplicis *grana duo.*

Pulveris radicis liquiritiae *grana quinque.*

m. f. pulv. aequab. D. pro dosi.

Doses tales iam tres, iam quatuor singulo aegro sumenda erant. — Quidam eorum statim prima nocte praecedentibus caloribus fugacibus, pulsu accelerato pleno, sudore universalis maiori vel minori in gradu cum sensu ardoris cutis correpti sunt. Alii, et quidem maxima eorum pars quintam inter et septimam sumti remedii diem eadem obtulerunt symptomata. Erant nonnulli, in quibus sudor decima et quarta, alii, in quibus vicesima et prima, in paucissimis trigesima die primum comparuit. Hic sudor plerumque calidus, in nonnullis solum casibus gelidus, tempore longiori aut breviori qualibet tandem nocte praesertim auroram versus in hominibus super stramen linteamine coopertum iacentibus et stragulo levi tectis reversus est. — Sudorem hunc vices repetentem nulla lassitudo, imo sensus facilitatis et levitatis corporis, nec coloris faciei in pallidum, imo terrei in laetiorem, denique virentem mutatio secuta est.

Dum sudor nocturnus universalis, qui pluribus noctibus, numero haud determinabilibus durat, tacet, in multis aegris sudor topicus calidus aut gelidus remanet, qui duratione aequo certo dierum numero adstrictus non est. Hic sudor praesertim partem efflorescentia affectam impedit, communiter tamen axillas, manus, tibias, dorsum ac calcem pedis genitaliaque tenet, ac saepe usque extincionem materiae morbidae viget.

Reperti sunt, quamvis paucissimo numero, aegri, in quibus nullus sudor universalis aut topicus observatus est.

Sudor et universalis et topicus *actionis* remedii in organismum *generalis* est *effectus*.

Plagae herpeticae, utprimum sudores nocturni comparent, augeri, magis rubore et materiae morbidae plus secernere observantur; imo plagae plures cum pruritu nocturno enascuntur, aut aegri urticaria vexantur, aut ubi herpes scabidus sublatet erysipelate scabido corripiuntur.

Nonnullos aegros locis diversis pustulae spuriae nodulatae noctu invadunt, quae insigniter pruriunt, maue vero disparent, et locum, quo vigebant, epidermidis scalptu derasae absentia indigitant.

Hac topica reactione per dies indeterminatos durante pruritus nocturnus minuitur, rubor efflorescentiae remittit, secretio materiae morbidae coërcetur, et praesente herpete simplici emendatio manifesta insequitur. Interim in quibus casibus magna morbi vis est, remittente quamvis hoc primo reactionis impetu, malum plerumque sub plenilunio novitus cum rubore, pruritu et secretione auctis comparet et sensim in pristinum revertitur statum vel emendari cernitur.

Reactio et universalis et topica eiusmodi, qualem hic exposuimus, materiae herpeticae extinguae haud sufficit, nunquam enim febri distincta, quae *reactionis medicinalis seu specialis* morbo tollendo paris index est, stipatur. Ut haec subsequatur, anthrakokali longiori tempore scilicet usque ad saturationem organismi, sudoribus iam absolutis, exhibendum est.

Est autem prior reactio effectus remedii generalis, qui sudoribus universalis scilicet et topico insignitur; posterior vero eiusdem effectus specialis habendus est, huncque febris medicinalis notare solet.

Sub hac reactione febrili imago herpetis topica, fors aspectu iam extinctioni proxima, deteriorem videtur induere habitum, novumque adipisci vigorem, verbo omnes mutationes illius proxime expositae eminentiori in gradu adsunt. Ast composite pedentim febris tumultu etiam topica morbi facies pedentim serenior fit, sanatio lento quamvis, certo tamen passu progreditur et terminatur.

Reactio medicinalis universalis anthrakokali inducta saepe mitis est, saepe valida. Praesente illa mitiori re-

medii exhibitio continuari potest, sub validiori vero neutrum quam, imo saepe nitro temperanda.

Sub initium solum reactionis cernitur organorum digestionis functio labefactari; serius quamvis systematis sanguiferi vita iam maiori iam minori gradu exaltata maneat, reliquorum systematum functiones normae respondent.

Terminum reactionis medicinalis specificae pulsuum frequentia visque normalis indicant. Reactionem adfuisse veram non spuriam fors errore diaetae inductam, ipsius impetiginis disparitio, constansque longiori tempore absentia, nec sub alia quacunque forma comparatio evincunt.

LXXIV.

Hinc patet anthrakokali virtutem convenire suscitandi in herpetem reactionem tam topicam, quam universalem; experientia vero trium annorum idem materiae herpeticae extinctioni sufficere comprabavit. — Hinc non immerito anthrakokali herpetis remedium specificum a nobis statuitur.

LXXV.

Appetitum ciborum anthrakokali non destruit, imo malum corrigit. Secretionem bilis augere observatur; etenim dosin illa per nychthemerum octo granorum maiorem et errorem diaetae facile febris valida cum vomitu bilis flavae aut viridis, nec non alvus biliosa insequitur. — Alvum non obstantibus sudoribus haud restringit. Urinae excretionem in nonnullis solum auget casibus. Urina in nonnullis aegris sedimentum depositum terreum copiosum, vasis lateribus adhaerens, coloris coerulei. Faecibus diutius sumtum colorem nigrescentem impertitur.

LXXVI.

Effectum anthrakokali simplex sulphurato segniorem exhibet. Ast quum herpes, qua morbus vegetativus, nisi vegetationis immutatione sanari possit: patet actionem simplicis utpote lentiorem illa sulphurati praestantiorum esse debere, morboque sanando magis convenire. Anthrakokali sulphuratum, cui in herpete scabido locus esse potest, actione cita facile et aegrum, qui disparente e cuti morbo se sanum existimat, et medicum, qui se curam morbi feliciter absolvisse autumat, fallit.

LXXVII.

Tempus illud, quo anthrakokali sumendum est, receptivitas aegri in remedium, morbi simplicitas aut complicatio, diaetae strictae observatio, aetasque individui determinat; ipsius enim febris medicinalis comparitio ab his plurimum pendet momentis.

Si aeger post paucos dies sumti remedii sudoribus corripiatur, ille adhuc aetatem iuvenilem agat, simplici affectus sit morbo, cibis vegetabilibus moderate utatur; intra sex circiter mensium spatium salutaris comparere solet reactio medicinalis. Si vero sudores sero accedant, vel vero nulli sint, si individuum annum aetatis intra quadragesimum et sexagesimum agat: annus unus saepe et alter inducendae reactioni sufficienti par esse potest.

Diurna talis in menses et annos excurrens morbi curatio in natura ipsius morbi fundata est. Aegri morbis dyscrasicis e herpete, scabie etc. ortis saepissime pluribus vexantur annis. Certe curatio eiusmodi dyscrasiarum in vegetatione corporis omni immutanda radicatur, iam vero vegetationis ipsius immutationem aliquot decadum dierum

opus esse non posse cuilibet attento functionum fabricae corporis humani observatori clarum est.

LXXVIII.

Anthrakokali sub febri primaria ex accidenti herpeti iuncta exhibere propterea inconsultum est, quod eiusmodi febris semper cum paratione materiae certae, quam criticam vocamus, nexa esse —, et illius excretio quoquo modo turbata morbi exasperatione comitari soleat. Nec morbo febrili tempore brevi solvendo, remedio, cuius actio longius exigit tempus, apte consuli potest.

Ubi febris secundaria ex herpete oritur, tum hoc, prout omne remedium vegetationem maiori adficiens stimulo, tantum cum noxa adhibetur; etenim febres tales continuae vehementia notabili praeditae esse solent; iam vero remedii ipsius quoque virtus in suscitando systemate vasorum sanguiferorum ponitur. Inde febrim talem, adhibito remedio, minime minci, imo augeri et aucta febri organismo maius ac maius detrimentum accedere debere sequitur.

Optime porrigitur hoc remedium, ubi nec ventriculi functio multum labefactata, nec organismus febri adfectus est.

Usus illius nec sulphuris nec hydrargyri adhibitionem simultaneam excludit; imo in herpete scabido aut syphilitico illis optime iungitur.

LXXIX.

Quum ipsa abstinentia a copia ciborum sanitati integrae conservandae necessaria morbis vegetativis suppri mendis perquam idonea sit; nec vegetationis nisus in certam metam aliter citissime infringi possit, quam cibis

certi ordinis parce ingestis: sequitur et ad herpetis sana-
tionem et actionem anthrakokali sustentandam diaetam re-
strictam requiri. Optime elucet effectus anthrakokali penes
victum vegetabilem sale sufficienti conditum, ast absque
aromatibus stimulantibus multis paratum. Acida fortiora
cuiuscunque generis vetita sunt. Carnis esus, qui inter-
dictus esto, vim remedii maxime destruit. Potus aquae
maxime est utilis.

Errorem omnem in diaeta facile febris gastrico-bilio-
sa saepe erysipelati iuncta sequitur. Maxima hoc respe-
ctu aegris impertienda est cura eo tempore, dum reactio-
nis medicinalis instat tempus; tum enim vel levis diaetae
error febri tali gastrica stipatur, quae longiorem consueto
observat decursum et, prout creberrime mihi observare li-
cuit, dyscrasiam praesentem adeo pertinacem reddit, ut terni-
tales insultus febriles sub cura continuata dyscrasiae tum
temporis insanabilis reddendae sufficiant. Sub hac porro
febri plagae herpeticae praesertim ulcerosae pus malae no-
tae secernunt, celeriter dilatantur, partesque solido-molles
consumunt. Sphacelus, sicut generatim in vulneribus ob
errorem diaetae, ita etiam speciatim in ulceribus herpeti-
cis facillime exoritur.

LXXX.

Usus anthrakokali calorem corporis aequabilem, mo-
deratum requirit. Aegri herpetici interdiu leviter induti,
si in cubili sint, extra lectum versari possunt; si vero vi
officii sui aëris vicissitudinibus expositi sint, corpus bene
tegant oportet. Noctu, utpote tempore sudoris ingruentis,
capite excepto, opertos esse, nec vestitum usque sudoris
cessationem mutent necesse est.

Refrigerium admissum in uno casu hydrops univer-

salis comitatus est, ille tamen usu remedii continuato ope sudorum nimiorum intra paucos dies disparuit.

LXXXI.

Ex hucusque dictis patet anthrakokali virtutem in genere in actione illius in cutim sitam esse. Certe nobis nullum est notum hucusque remedium, quod cutis vitam illo magis suscitare valeret. In specie herpetem eo, quod reactionis universalis et partialis in eum suscitandae, materiaeque herpeticae e corpore extinguendae idoneum sit, inter omnia remedia, quae hucusque innotuere, facillime sanat.

Bene tamen notandum est, nos anthrakokali herpetis solum remedium profiteri. Morborum itaque dyscrasicorum aliorum cum herpete complicatorum illud remedium haud esse palam est.

Morbi hi dyscrasici sua iterum requirunt medicamina specifica, sic scabies sulphur, syphilis hydrargyrum, lepra antimonium, carcinoma iodum (?).^{o)}

LXXXII.

Primum in curatione herpetis est determinare, utrum ille simplex aut complicatus sit. Si praecipuos maximeque generales dyscrasiarum characteres, utpote formam, locum, colorem odoremque attente examinaverimus, eas raro simplices imo inter se plurimum complicatas detegimus. Certe herpes simplex raro est obvius. Necesse itaque est, ut omnis alterius dyscrasiae complicatae cura vel simultanea vel succedanea cum ea herpetis suscipiatur.

^{o)}) Iodium non possumus quidem pro specifico carcinomatis remedio declarare; in formis tamen herpetis carcinomatoidis superius descriptis praestantissimum esse observatum est.

In herpetis simplicis curatione anthrakokali simplex solum sufficit¹).

In cura herpetis complicati scabidi anthrakokali simplex vel sulphuratum cum floribus sulphuris adhibendum²).

Herpes syphiliticus anthrakokali et mercurium requirit³).

Herpes syphilitico - scabidus vel scabido - syphiliticus anthrakokali, floribus sulphuris hydrargyroque cedit; citius si sic dictum decoctum lignorum illis adiungatur bibendum (LXIX).

Herpes leprosus anthrakokali et antimonio sanatur⁴).

In herpete leproso accendentibus scabie et syphilide omnia quatuor remedia specifica exhibeantur oportet.

Herpes erysipelaceus febri stipatus iuxta generales regulas therapeuticas usque febris cessationem curandus⁵); tum si nulla detegatur eius cum scabie complicatio, quod rarissimum, anthrakokali solum adhibendum est, donec erysipelaceae dyscrasiae specificum innotuerit; si scabies complicata sit, huius specificum addendum.

Dyscrasia carcinomatica herpeti iuncta fere semper scabiei quoque notas manifestat. Hic itaque cum anthrakokali floribusque sulphuris iodum exhibendum est⁶).

Formulae, quibus utimur, sequentes sunt:

- 1) Rec. Anthrakokali simplicis *grana duo*
Pulveris radicis liquiritiae, vel
Magnesiae carbonicae *grana quinque*.

M. f. pulvis. D. Doses tales Nr. 3, intra nychthemerum assumendae.

2) Rec. Anthrakokali simplicis vel
 " sulphurati *grana duo*
 Florum sulphuris Iotorum grana tria — quinque
 Magnesiae carbonicae, vel
 Pulveris radicis liquiritiae grana duo — tria.

M. f. pulvis etc. ut supra.

3) Si syphilis blennorrhœica vel cancrosa topica praestato est, calomelas vel mercurius solubilis Hahnemann adhibetur:

Rec. Anthrakokali simplicis *grana duo*
 Calomelanos, vel
 Mercurii solubilis Hahnem. $\frac{1}{6}$ partem *grani*.
 Pulveris radicis liquiritiae *grana tria*.

M. f. pulvis. D. Doses tales ut supra.

Si vero syphilitis universalis signa conspicua sunt, tum mercurius sublimatus corrosivus forma pilulari seorsim datur:

Rec. Mercurii sublimati corrosivi *granum unum*
 solve in s. q. aquae destillatae simplicis vel
 spiritus vini, soluto adde
 Extracti liquiritiae sol. q. s.

ut f. pil. Nr. 20. Conspergantur pulvere liquiritiae. D. ad scat. — Ex his pilulis vel dietim quinque erant aegro post pastum sumendae, vel omni altero die duabus plures, usque dum grana duodecim iuxta methodum cel. Dzondii mercurii absunta fuissent. — Cum his pilulis anthrakokali solum vel floribus sulphuris mixtum iuxta praecedentes formulas adhibitum fuit.

4) Rec. Anthrakokali simpl. vel sulph. *grana duo*
 Sulphuris aurati antimonii *granum semis*
 (vel Antimonii crudi)
 Magnesiae carbonicae, vel
 Pulveris radicis liquiritiae *ana grana tria*.

M. f. pulvis. D. Doses tales Nr. 3. pro die.

5) In herpete erysipelaceo febris continua omnium remediorum antidyscrasicorum usum prohibet; illis enim febris ad maiorem evahitur vehementiam, et illa inflammatoria in oppositum, quo per se multum inclinat, ruit statum — febrim scilicet adynamicam. Nunc temporis charactere harum febrium inflammatorio conspicuo usque febris huius extinctionem dedimus:

Rec. Decociti radicis Althaeae
 ex drachmis duabus parati uncias sex
 Nitri depurati drachman semis
 Syrupi Althaeae unciam unam
 omni hora sumendum.

Cessante febri ad usum antidyscrasicorum ita transivimus, ut initio exhiberemus:

Rec. Flor. sulph. lotor. grana tria — quatuor
 Nitri depurati grana quinque.

M. f. pulvis. D. Doses tales No. quatuor pro nychthemero; — tandem reliquis erysipelatis complicationibus, dum nullus febris revertentis metus esset, remediis earum specificis consumeremus, ipsi erysipelaceae dyscrasiae nullum remedium, quoniam nullum adhuc nobis specificum innotuerit, opposentes.

In curatione abscessuum haec observavimus. Parvi, sub usu remediorum superius recensitorum, si solitarii sint facile resorbentur prout et tubercula, e quibus enati sunt. Magni, sinuosí tum solum cultro aperiantur, ubi cutis superiacens iam nimium tenuis est; incisura magna ubi facta est, eius orae facile sphacelescunt, propterea ea unius pollicis longa ad transmittendum textum cellulosum destruetum, pusque ipsum sufficit. Injectionis aquosae in antrum ipsius abscessus granulationis processum omnem fere semper cohibebant, ideo nunc omnis nostra sollicitudo circa illos in eo sita est, ut pressione leni pus, quantum fieri potest, e sinibus illorum expellamus, profluentemque linte-

amine carpto excipiamus. — Membrum, in quo malum residet, globulorum camphoratorum pulvere, linteamini insperso, involvimus, caloreque sicco, si illud frigescat, — pluribus stratis sicci linteaminis, si temperaturam normalem habeat, foveamus. Accidit sub tali tractamine, ut sinus unius aut alterius meatus granulatione obstruatur; tum collectum pus a primitiva incisura remotum format abscessum, mox incidentum et ratione, quam exposuimus, curandum.

6) Praeter anthrakokali, flores sulphuris antimoniumque iuxta formulas superius expositas, vel a quocunque medicorum componendas exhibenda, in herpete carcinomatico solutione iodii usi sumus:

Rec. Iodii puri *granum unum*
Hydroiodatis kali grana duo
solve in
aqua destillatae simplicis unciis duabus.

D. S. Cum guttis quatuor mane et vesperi incipiendo et numerum gutterum qualibet die duabus augendo usque decem — quatuordecim, haec quantitas tandem continuo sumatur mane et vesperi.

LXXXIII.

Omnis faustus curae herpetis eiusque complicationum eventus a recta complicationum eius diagnosi, et hinc presumendo recto remediorum selectu pendet.

Complications vero vel statim evoluto morbo manifestae sunt, vel sub curatione huius, dyscrasia una victa, emergunt.

Compositae nimium formulae proxime expositae, necessitatis sunt progenies. Dum enim remedia superius (LIX — LXIX.) proposita, quid in herpetem valeant, tentamini subiecissemus: observavimus formam morbi eandem

in diversis individuis diverso remedio impugnatam diversimode fuisse mutatam, aut mansisse eandem. In priori casu iudicavimus certo quodam remedio (sulphure, antimonio, hydrargyro etc.) aliquid, formae morbi mutationes, materialis morbo ipso fuisse detractum, et remanentem morbi formam ad sui sublationem alia exigere media; aliis adhibitis, eventuque priori simili reperto, hanc morbi formam plura exigere media conclusimus. In posteriori casu remedium in praesenti morbo nihil specifci, in quod ageret, detegisse autemavimus.

Post longas ambages crebrosque errores crebriorem de quadam morbi forma opinionis immutationem: et complicationes herpetis (LXX sub *)) et singula harum remedia, eaque in complicationibus, his propria, omnia exhibendo successive eruiimus.

LXXXIV.

Anthrakokali et alia remedia dyscrasica in formis herpetis et eius complicationum anomalis, recte agnitis, maxime conspicuum exserunt effectum.

Longam harum formarum seriem singulatim exponere superfluum esse credimus, aliquot commemorare suffectorum arbitramur.

Scrophulac quo pertinacius *iodio*, *hydrargyro*, *sulphuri*, *barytae calcique muriaticae* etc. resistunt, anthrakokali eo facilius sanantur. Scilicet glandulae lymphaticae iam multum inflammatae cito in pus genuinum mutantur et, si abscessu fluctuante aperiantur, fuso breviori tempore, quam sub usu aliorum pharmacorum, pure, consolidantur; si vero aperitio naturae viribus committatur, tum suppuratio mox finitur, ast cicatrissatio longius in tem-

pus excurrit. Si abscessus parvus, cutisque ipsa adhuc de-structa non sit, pus plerumque resorbetur^{*}).

Sic in sutore N. N. annorum 17, tumores glandula-rum colli et submaxillarium dextri lateris in molem nota-bilem a duobus annis aucti, sinibus pluribus longis inter glandulas et infra cutim provisi, exulcerati, sub usu sul-phuris ac iodii tribus mensibus continuato non solum non sunt sanati, imo aucti. Anthrakokali adhibito intra duos menses omnes tumores, e quibus in suppurationem abeuntes duo resorpti sunt, disparuerunt.

LXXXV.

Tumores arthritici e rheumatismo herpetico residui usu anthrakokali aequa celeriter dissipantur, praesertim dum eius vis balneis calidis adiuvatur.

Exsudatio synoviae in articulos, praesertim genu et cubiti facta, si hic liquor purulentam indolem nondum induit, eodem remedio mediante in omnibus casibus nobis huc usque obvenientibus feliciter sanata est.

Sic in auriga N. N. 32 annorum, nodi arthritici dorsi manus ac digitorum eius intra duas septimanas disparue-runt. — In agasone N. N. 40 annorum, tumores arthritici carpi metacarpique manus, genu sinistri, tarsorumque pedis intra quinque septimanas sullati sunt. In puella N. N. 30 annorum (XLIII, 4.) tumores ac nodi arthritici manuum pedumque notabiles et digitorum distorsiones, adhibitis si-mul balneis Budensibus intra viginti quatuor dies pulsa sunt. In puella N. N. 22 annorum, effusione synoviae larga genu sinistri ac doloribus osteocopis crurum ad-fecta, genu adflectio intra tres septimanas curata est. In

^{*}) Praeparatum malum effectum exserit contrarium, hinc, quod praesertim in serophilis exhibendum erit, a medico ipso se-ligendum.

viro N. N. 27 annorum, tumores cubiti dextri, genu utriusque ac malleolorum pedis cum effusione synoviae iuncti, nec non tophi crurum (postquam febris rheumatica diurna nitro abolita fuisse) intra mensem ope anthrakokali ac calomelanos sanati sunt.

LXXXVI.

In rheumatismum chronicum sine febri vigentem, dum is doloribus, nulla autem depositione materiae excernendae notatus est, anthrakokali segnius exserit efficaciam; morbum tamen, etsi longiori mora, tuto sanare solet. Sic viro N. N. annorum 38, qui balneis Budensibus, Poestyénensis bus, vino seminum colchici autumnalis, oleo iecoris aselli etc. per plures menses usus est, in doloribus tarsi pedis continuis, atmosphaerae mutatione exasperatis anthrakokali intra menses duos opem tulit sempiternam. — N. N. annorum 56 vir, intra quindecim annorum spatium ob dolorem rheumaticum maxillae inferioris ad marginem huius alveolarem dextrar lateris adstrictum, plurimis pharmacis, a multis medicis (in specie a homoeopathis longa quatuor annorum serie) curatus, sumto anthrakokali per annum, tantum malo suo levamen accessit, ut insultu doloris altero anno semel tantum corriperetur eoque tam leni, ut sub hoc et loquela, et masticatio ciborum expedita fuerit, dum praecedentibus annis, durantibus doloribus continuis per vices tamen exasperatis, illo tempore ex inedia fere periverit.

LXXXVII.

Rheumatismus chronicus tophis ossium longorum syphiliticis complicatus quoque occurrit. Falso itaque omnes dolores omnium membrorum individuorum talium, in quibus dyscrasia syphilitica detegitur, huic unicae adscribun-

tur dyscrasiae; falso dolores post curas antisyphiliticas residui hydrargyroque renitentes pro effectu posthumo ipsius mercurii scilicet pro hydrargyrosi habentur. Certe hi dolores alterius complicatae cum syphilide dyscrasiae imaginem referunt.

Sic puellae N. N. 18 annorum, hebreac, meretricis, in gena sinistra ad latus nasi et in fronte prope tempora sinistra herpetem squamosum coloris minii, adeoque scabidum, gerentis dolores osteocopi hydrargyro sublimato corrosivo, methodo cel. Dzondii exhibito, conticuerunt, herpes pallescebat; *ast vix finita cura scilicet intra octiduum reversi sunt dolores alii articulis infensi.* Anthrakokali dato glandula una lateris colli dextri intumuit, inflammata citoque in pus conversa est, quo facto dolores omnes disparuerunt; oncotomia abscessus facta pureque effuso huius secretio quatuor solum duravit diebus et nullo remanente glandulae tumore haec quoque cessavit et sanitas reversa est.

Sic in viro N. N. 30 annorum, sigulo, dolores osteocopi crurum et rheumatici gennum sub usu mercurii methodo cel. Dzondii exhibiti evanuerunt. Aeger e nosocomio excedens ob eosdem dolores reversos extra hoc institutum bis eidem curae subiectus est. Propullulante herpete scabido-syphilitico (centrifugo pustulifero) in brachio dextro, in latere thoracis — ac femore dextro sensim dolores mitigati sunt, denique disparuerunt. Herpete hoc nosocomium filiale ingressus en, inquit, dolorum meorum causam, si sanabilis, sanandam offero. Et revera sanato herpete sanitas iam ultra duos annos illaesa viget.

Sic in iuvene N. N. 19 annorum, tinctore, partes solido-molles ossaque nasi herpete syphilitico ulceroso carieque destruncta, nares instar antri hiantes, palatum durum pertusum, in angulo oris dextro nec non in femoris sinistri facie anteriori magnitudinis crucigeri cuprei austriaci

ulcus syphiliticum cancrosum offerente, doloribus osteocarpis vexato, Hydrargyrus methodo cel. Dzondii adhibitus morbum extinxisse videbatur. Quum in collo tamen cicatrices instar chordarum tensae a maxilla inferiori usque os claviculae descendentes e herpete rodente in pueritiae annis perpresso residuae conspicuae fuerint, dyscrasiam adhuc aliam sublatere autumavimus; ad huius, quam herpeticam statuimus, extinctionem iodium^{*)}, quo tum temporis pericula experimentativa instituimus, adhibuimus, et quum aegrum sanum putaremus, e nosocomio dimisimus. Siluit morbus per $\frac{3}{4}$ anni; tum in humero sinistro herpes scabidus ulcerosus sine nota syphilitica erupit, quo hinc remediis adstringentibus pulso gonarthrocace, nec non tumores artuum manus cum doloribus magnis subsecuti sunt. Ob hoc malum obtinuit anthrakokali et huius auxilio ab eodem intra duos menses liberatus est.

LXXXVIII.

In omnibus casibus proxime (LXXXV—LXXXVII) breviter commemoratis, ad demonstrandam anthrakokali virtutem eximiam adductis, sanatio perfecta eodem remedio absoluta non fuit, illa enim longius exigens tempus cum mutatione formae morbi, quae in illis casibus locum habuit, confundenda non est.

LXXXIX.

Ubi herpete eiusque complicationibus mutationes organicae quoad structuram texturam partium inductae sunt,

^{*)} Hic aeger solutionem e grano uno iodii, granis duobus hydroiodatis kali in unciiis tribus aquae dest. simplicis factam intra 12 horas absumsit, eam guttatum sumendam inefficacem autumans. Praeter sudorem moderatum nulla alia signa morbida sumptum remedium secuta sunt.

hac extincto quamvis morbi somite haud abolentur. Ideo, quod bene notandum est: Anthrakokali virtus in herpetis sanatione negari non potest; etenim non sequitur: ablatam materiam morbum organicum sustentantem productum quoque eius comitari. Certe ubi organismus mediante morbo vegetativo detrimentum passus est, aut ubi partibus augmentum accessit, nisi hoc liquidum sit, quod vasis sorbentibus consuetim absumitur, vitia illa perseverant, quae si natura sua universalibus organismi legibus subiecta sanabilia sint, alia artis auxilia exigunt, sin minus, periculis stipantur. Remanentia talia vitia in organismum plerumque instar potentiarum seu peregrinorum corporum agunt.

Sic in morbis systematis nervosi herpete causa enatis si ipsi nervorum puluae mutatio organica inducta sit: malum hoc ope anthrakokali non suffertur. Sic ubi plagae herpeticae residebant cutisque structura, praeter vasorum extensionem integra est, qualibet causa cursum sanguinis accelerante plague illae facile rubore maiori profunduntur. Cicatrices, saepe nimiae liberum membrorum motum impediunt, vasorum cursum intercipiunt, nutritionemque praepediunt. Partes in statu sano ab invicem se iunctae nexae manent. Venae in varices dilatatae, tales perseverant. Dislocationes ossium, horumque tumores ob consolidationem lymphae formaticis partim solum remendantur. Depositiones materiae herpeticae excrementitiae in organa interiora haud annihilantur etc.

XC.

In morbis itaque multis sic dictis chirurgicis e latente dyscrasia herpetica enatis manum et cultrum tollendo malo topico tum solum admovenda censeo, ubi ipsa dyscrasia iam maximam partem devicta est; ablato enim absque dys-

crasiae curatione ope cultri morbi foco ipsum quoque morbum extinctum esse falsum est. Quali comitetur effectu exempli causa fistulae ani (fere semper e dyscrasia scabida enati morbi) operatio, quisque chirurgorum, qui operatis a se aegris seriis quoque attentionem impendit, novit.

Suscepta est in nosocomium nostrum vetula N. N. 70 annorum cum carcinomate varicoso mammae dextrae. Mamma haec magnitudine caput infantis anni medii aequans summe dura, tuberibus durissimis protuberantiisque molibus, lividis, sub digito premente fluctuantibus, utrisque diversae molis, notata post ictum ante septem annos eidem illatum morbo laborare coepit. Protuberantiae molles, lividae, elasticæ = *varices* a tribus annis saepius ruptae, quavis occasione, atram sudere longiori tempore materiem, Dolores aderant carcinomatici proprii, singulares. Glandulae subaxillares tumidae, dolentes fuerant; omnisque textus cellulosus mammam ambiens induratus repertus est, hinc ea fixa, difficulter loco mobilis erat.

Aegra morbo suo eiusque complicationibus illustrandis paucæ suppeditare potuerat anamnestica momenta; nihilominus ex praesentibus varicibus mammae conclusimus scabiem cum carcinomate iunctam esse, et quum filiam huius vetulae ante annum e herpete syphilitico-scabido ulceroso pedum sanaverimus, in matre quoque praesentem dyscrasiam herpeticam supposuimus. Remediis itaque, antequam cultrum malo admoveremus, has dyscrasias oppugnandas censuimus. Effectus exhibitorum illorum tam emiens vi-sus est, ut dispulso glandularum axillarium tumore, textusque cellulosi mammam cingentis induratione, mamma ipsa mole adeo decresceret, ut pendula (alterius instar) fieret, dolores carcinomatici silerent, varices disparerent, tubera planiora redderentur. In hoc statu, continuato quamvis remediiorum usu, mammae conditione perseverante aptum adesse operationis tempus indicavimus. Verum considerato

eo, quod mamma in hac vetula iam a multis annis organo non iners sit, quod, si eadem illius conditio mansura est, organismo innocua reputanda sit; quod operatio facienda praesenti malo maiora sanitati adferat pericula, opem chirurgicam suspendendam arbitrati sumus. Et haec vetula a semialtero anno hodiernum usque diem sana vivit, insontesque morbi sui gestat reliquias.

XCI.

Remedia externa cum anthrakokali talia solum adhibeantur, quae eius virtuti opitulantur et quae theoriae sanationis consentanea sunt. Sic ubi ulcera adsunt herpetica ea pro ratione indolis eorum generalis linteo carpto iam sicco, si pura sint; iam decocto soliorum malvae imbuto, si pus nimium fundant; iam decocto quercus aut ulmi corticis; si in luxuriationem granulationis prona sint; iam acido pyroxylico mero aut diluto, si sphacelo obruta sint, tegantur.

In aliis herpetis legitimi aut anomali casibus remedia externa nulla sunt adhibenda, excepto casu, dum reactio organismi universalis segnis est, quibus sub rerum adiunctis balnea indicata sunt; etenim adhibitis aliis morbus topicus facile recedit, et medicus criterio sanationis peractae destituitur.

Appendix.

XCII.

Anthrakokali, eius actionis generalis respectu in unico tantum morbo, scilicet in cholera orientali adhibitum fuit. In huius morbi casibus aliquot, scopo periphericam sanguinis circulationem impellendi tum solum datum est, dum frigus marmoreum, cutis turgor plenarie evanidus, pulsus arteriarum superficialium nullus, evacuationum omnium ces-

satio, respiratio summe laboriosa etc. asphycticum indicarent vitae statum. Granum unum huius remedii cum granis quinque pulveris radicis salep alcoholisati, dimidia horae intervallo porrectum tantam suscitavit cutis reactionem, ut iam intra horae spatium tactu pulsus distinctissime perciperetur, elapsis vero tribus horis sudor universalis calidus compareret.

Quamvis autem remedium hoc in omnibus casibus, in quibus adhibitum est, circulationem sanguinis periphericam restituere valuerit: in illis tantum casibus proficuum inventum est, in quibus nervorum vitae vegetativae functio paresi pericitata nondum erat; nam sub his rerum adiunctis paralysis universalis lethæa, sudore universalí calido durante vitae metam posuit.

In casibus morbi non adeo evolutis effectus remedii fere semper laetissimus exstitit; etenim e 25 aegris, iuxta experimenta ruri capta, 1 tantum perivit.

Observationes de Herpete.

Errata.

Corrigenda.

Pag.	Linea.	
8.	2. certe	cute.
9.	16. tota aequaliter	tota plaga aequaliter.
16.	8. dispersa	dispersae.
21.	4. 5. tegabat.	tegebat.
22.	21. primo	prima.
27.	23. luteam	latam.
28.	30. aliorum	aliarum.
24.	3. haemisph.	hemisph.
31.	23. Aliae	Alia.
35.	12. parum	purum.
-	18. puram	parum.
36.	7. occurrit habitu	occurrit, habituque.
45.	9. suo	sua.
59.	19. quem	quam.
71.	12. textra	dextra.
81.	16. curvatura	contractura.
85.	29. vere	fere.
87.	26. pertinacius	pertinacior.
89.	7. recesserit, sensim	recesserit, tumor sensim.
93.	17. mutationem	mutationum.
106.	13. officinalis, phyllidis amarae	officinalis. Phyllis amara.
110.	18. illus	illus.
-	28. hujus respectu usus	hujus, respectu usus,
113.	3. putuvimus	putavimus.
128.	4. , formae morbi mutationes,	(= formae morbi mu- tationes.)